BIBLIOTECA NAZIONALE DI TORINO
F
11°
56

F-11-56



AMSTELAEDAMI apud HENRICUM BOUSSIERE.

PETRI BURMANNI
POËMATUM
LIBRI QUATUOR.


Nunc primum in lucem editi.

CURANTE

PETRO BURMANNO

JUNIORE.

AMSTELAEDAMI,
Apud MEINARDUM UYTWERF,
CIƆIƆCCXLVI.



INCLYTO ET AMPLISSIMO VIRO,

GERARDO ARNOLDO HASSELAER,

J. V. D. CIVITATIS AMSTELAEDAMENSIS JUDICI INTEGERRIMO, AC SENATORI, SOCIETATIS JNDICAE MODERATORI VIGILANTISSIMO ETC. ETC.

D. D. D.

PETRUS BURMANNUS JUN.

SI vacet, Amſtelii laus rara, GERARDE, Senatus,
Et patriae columen grande decuſque tuae,
Nec pigeat, poſitis parvo tibi tempore curis,
Inſpicere haec cultûs pignora certa mei;

Pignora ſinceram domini teſtantia mentem
Quae tibi fert Muſae dextera nota meae;
Excipe non tetrica triſtique exilia fronte
Munera, ſed genio conveniente tuo.
Nec timet admitti vultu, pro more, ſereno,
Laetaque ad inluſtres ire Thalia lares.
Nam, licet haud dubitet per ſe tibi grata venire,
Liminibus ſiſtit ſe, Duce freta, tuis:
Quo faciles aditus ſibi conciliante, patebunt
Atria Pieriis ſemper aperta viris.
Quae comitata ſubit Phoebeae munere chartae,
Et Patruae ſecum fert monumenta lyrae.
Auribus iſta tuis neque faſtidita ſonabunt
Barbita, moroſa nec removenda manu.
Forte nec obſcuri media de plebe poëtae
Carmina judicium ſunt ſubitura tuum.
Nec, pretium ingeniis ſoleas cum ponere juſtum,
Arbiter & doctos aequus amare viros;
Huic Batavos inter tu dedignabere vates
Quaeſitum meritis adnumerare locum.
Forſitan & noſtra de gente videbitur olim
Carminis haud minimum dote tuliſſe decus.
Sola neque externis laus haec inſcripta tropaeis,
Palma ſed & Batavis iſta relata comis.

Nam

Nam dederit magnos tellus licet Itala vates,
Aut Latia exhibeat Phocidos inſtar humus.
Sit, rerum dominae nunc urbis, Roma, cadaver
Parthenope & claris dives alumna viris:
Tibris Apollineis ſit Caſtalis unda poëtis,
Arnus & Aoniae par memoretur aquae.
Sit licet Heſperia Naugerius inclytus ora,
Molſaque, & Etruſci laus Jovianus agri.
Flaminius Bembo nil cedat, & efferat ingens
Inter Amaltheos Actia Muſa caput.
Non tamen ingeniis felicibus una ſuperbit
Auſonia, aut Clarii fertilitate chori.
Lotichium jactet Germania, jactet & Heſſum,
Miretur numeros, culte Sabine, tuos.
Puraque Bersmanni placeat vel vena Micylli:
Nam nihil his majus Teutonis ora tulit.
Nec memoret priſci titulos effoeta decoris
Gallia, quae doctos degeneravit avos.
Gallia nos craſſo ſugillet in aëre natos,
Praemia vel genti vindicet illa ſuae.
Sequana fertilior credatur Hyantide lymphâ,
Pegaſeo potior flumine lentus Arar.
Hac quoque parte caput dudum exſeruere poëtae
Progeniti ad ripas, Rhene Batave, tuas.

Nec minus haec patriae debetur adorea noſtrae,
Laurus & Hollando provenit iſta ſolo.
Grotiaden Batavum Gallo conferre Thuano
Quis neget, & meritis fraudet utrumque ſuis?
Sanmarthana domus cenſetur laudibus illis,
Nos quoque Douſiacos fas celebrare lares.
Baſia cantentur Boneſoni culta, Secundi
Iſta propinavit Muſa Batava prius.
Trigaque Balzacio ſociet Puteana Petitum,
Commirio jungat Menagiumque ſuo;
Heinſiadas ſolos opponimus, & tua, Baudi,
Carmina, Hymettei nectare plena favi.
Et quae Pelignum referens dulcedine cycnum
Francia par venae dote Camena fluit.
Callimachique inplens numeros Broukhuſius Umbri,
Amſtelii quondam ſidera bina ſoli.
Nec puto, collata benè carminis arte, negabit
His quoque Burmannum jungere Livor iners.
Quidquid erit, meritis ſi detrahet aemula veris
Invidia, inſignes ſueta ferire viros;
Judicibus juſtis Patrui placitura putabo
Carmina, judicio ſi placuere tuo;
Nec titulis vatum ceſſura, GERARDE, priorum,
Digna patrocinio ſi tibi viſa tuo.

Si

Si te Burmanno juvit creviſſe Magiſtro,
Et dare Palladiis, hoc duce, tura focis;
Dum Senis a docti pendebas ſedulus ore,
Non tibi dedecori Muſa futura Viri eſt.
Utque inhonora tibi non haec ventura Camena
Splendorem a veſtro nomine & illa feret.
Haec te ſeceſſu villae comitata beatae.
Otia in Heemſtedio dulcia ducat agro.
Atque animum curis, patriae quas commoda poſcunt
Publica, defeſſum mulceat iſta chelys.
Aut ubi diverſos Naturae inquirere caſus,
Et luſtrare oculis, qua patet, orbis opes;
Juverit & cauſſas rerum indagare latentes,
Seu varias mundi mente notare vices;
Aut circumfuſo cur pendeat aëre tellus,
Ut peragant leges noxque diesque ſuas.
Igniferum audaces ad coelum aut tollere vultus,
Semotique oculis ſcandere in aſtra poli.
Inpleat ut curſum Sol, Luna recolligat orbes,
Ut rutilas ſpargant ſidera cuncta faces.
Sive Ariadneae ſignum ſpectare Coronae,
Aut ubi Junonis lacteus orbis eat.
Andromedanve, Helicenve, aut Virginis ora tueri,
Parrhaſis ut gelido fulgeat Urſa polo.

Na-

Navita ut evitet ſcopuloſi ſaxa profundi,
Et certa curſum pyxide cautus agat.
Erectum his animum ſtudiis nam paſcis honeſtis,
Et tantas magno pectore condis opes.
Quod ſi deliciis mentem his ſaturaveris altam,
Pieris alternas poſcit agatque vices.
Nam tibi Pegaſidum levis eſt haud cura Sororum,
Artis Apollineae nec tibi ſordet honos.
Et ſaepe hoſpitio doctas ſtudioſa Camenas
Excipit, & celſo ſub lare dextra fovet.
Seu te detineant veterum ſublimia vatum
Carmina, ſeu ſecli plectra diſerta novi.
Hos inter Burmanna locum ſibi Muſa precatur,
Quam tibi devota mente, GERARDE, *dico.*
Utque meos luſus non deſpicis aure benigna,
Obſequii pignus carmina noſtra probent.
Sic ſtudiis favor ille meis tuus adſit, & ipſe
Dicar amicitiae pars quotacumque tuae.
Sic domui ſupereſſe tuae tibi detur, & urbis
Amſteliae curam dextra perita gerat.
Commoda ſic patriae felix tueare, diuque
Inter honoratos conſpiciare viros.
Debita ſic meritis creſcat tibi gloria raris,
Purpura ſic humeros condecoretque tuos.

LEC-

LECTORI AEQUO

AC MUSARUM STUDIOSO

S. P. D.

P. BURMANNUS JUN.

NOn exiguam à peritis elegantiorum literarum ac Poëtices cultoribus initurum me gratiam confido, collectis hiſce & luci publicae expoſitis Venerandi Patrui mei Poëmatibus, diu ſane ab ejusmodi deliciarum cupidis amatoribus, ſed fruſtra hactenus, expetitis ac deſideratis; quorum niſi majorem, quam ipſe auctor, dum ſupereſſet, curam & rationem habuiſſem, ſparſa forſan erraſſent ſemper ac delituiſſent, nec ſingulari, ut merebantur, volumine digeſta in publicum prodiis-

ſent. In his autem colligendis ac diſponendis hunc, quem vides, ordinem ſecutus ſum, ut primo libro prolixiora exhiberem carmina, quae vel in Ultrajectina vel in Leidenſi Academia, quibus, fatente ipſa Invidia, haud incelebre aut inglorium, dum Literas illic profeſſus eſt, nomen fuit, publice pro concione dicta erant; altero libro conſpicerentur Epithalamia non uni ex amicis ejus cantata; tum Epicedia in obitus Virorum vel meritis in patriam vel eruditione illuſtrium ſcripta in tertium conjicerentur librum; denique miſcellanea ac diverſi argumenti carmina librum ſibi vindicarent ultimum: in quibus digerendis ubique adcuratum ordinem chronicum obſervare non potui, partim cum de ſingulis non ſatis mihi conſtaret, quo tempore ab auctore eſſent conpoſita, partim quia, ut de ſuarum Epiſtolarum Sylloge monet Plinius, ea collegi, non ſervato temporis ordine, (neque enim hiſtoriam conponebam) ſed ut quaeque in manus venerant. Nonnulla quoque Patruus ipſe omitti forſan maluiſſet, quae provectiori aetate ipſi minus, ut fit, adridebant; ſed tantum juris mihi adrogare non auſus fui, quia hujusmodi foetus tollere vel abjicere ſoli parenti, ſi hoc ipſe agere voluiſſet, licere arbitror, tum ne carmina quaedam omnibus nota atque expoſita, quaeque ſub ſuo nomine prodire paſſus fuerat, hic deſiderari lectores quererentur. Alia enim, quae vel ficto vel nullo nomine emiſiſſe dicitur, ſi unum alterumve excipias, ſciens praetermiſi, ne crabrones irritarem. Theatrum quoque

Amſte-

Amſtelaedamenſe, carmen ſane elegantiſſimum & quod ceteris minime cedere debeat, cur his non adjungerem, cauſſam videbam nullam; itaque id vero auctori, ut certis mihi conſtitit indiciis, adſerere malui, quam indulgere vagae & incertae famae aliis id perperam tunc, cum ederetur, adſcribenti. Si forte alia nonnulla meam effugerint diligentiam, quae non viſa aut lecta ad manus noſtras non pervenerint, ea ut benigne nobiſcum communicare velint illorum poſſeſſores, per ſacra Muſarum precamur; gratias interim maximas, ut par eſt, agentes conſanguineis amiciſque, qui tam benevolum in modum vel inedita nonnulla & typis ante non deſcripta, aut a nobis praeterita, largiti fuerunt, ſuaſque ad hanc editionem contulerunt ſymbolas. Paucula etiam, quod tamen omittere poteram, hic & illic mutata atque emendata reperientur, quae vel operarum incuriae tribuenda erant, vel feſtinanti & verſus feliciter effundenti potius quam moleſte parturienti exciderant auctori, quodque in tanta carminum varietate ac numero, atque in viro tot aliis laboribus occupato fieri vix aliter potuit; minime autem quod naſutulis & ſimul malignis cenſoribus (ut nec ipſi Homero ſui defuerunt Zoili, aut a Virgilio manus abſtinuerunt vitio creati Aeneidomaſtyges & obſtrepentes Anſeres) aliquid in *Burmanni verſiculis* carpendum, aut paedagogicae ferulae caſtigandum relinqui, ne fruſtra ſibi blandiantur, valde extimeſcerem: qui ſi aliquem verae Poëſeos guſtum umquam ſe habuiſſe,

aut unum ſaltem tolerabile neque averſo Apolline aut invita Minerva conpoſitum ex cerebro ſuo extudiſſe carmen probare poſſint, tum demum eos juſtos & idoneos, qui in re poëtica, cui litare numquam potuerunt ipſi, ſuffragia ferant, judices admittemus. Tu Lector, qui meliori omine ſacris his operari, atque ex aequo de poëticae facultatis dotibus aeſtimare ſoles, his interim fruere ac Vale. Dabam Amſtelaedami d. 5. Julii CIƆIƆCCXLV.

PETRI

PETRI BURMANNI
POËMATUM
LIBER PRIMUS.

S O M N I U M

Sive iter in

ARCADIAM NOVAM,

publicè narratum

in majori Academ. Ultrajectinæ Acroaterio
ad d. ix. Septembr. cIↄ Iↄ ccx.

Nox erat,& liquido reſoluti membra ſopore
Alta quies gratâ feſſa novabat ope.
Plenior adſueto,fratrique ſimillima morti
Venerat, officio, candide Bacche, tuo.
Nam, licet obliquo rodant hoc dente maligni,
Saepe mihi modico tempora rore calent.
Nec pudor eſt dulci curas lenire Lyaeo,
Nec ſoleo ſiccus ſemper inire torum.

A Hoſti-

Hoſtibus hoc poteris narrare, Calumnia, noſtris,
  Et facere invidiam moribus inde meis.
Pulle, tribuniciis captans clamoribus auras,
  Plebs ſciat indicio, Doctor, id ima tuo.
Sic poſito, mediam manifeſtâ luce ſerenans,
  Mercurius, noctem, viſus adeſſe mihi.
Et, mea ſomniferâ permulcens tempora virgâ.
  Hos dare facundo protinus ore ſonos.
Quem tu praecipuo coluiſti ſemper honore,
  Quique tibi toties dexter, Apollo, venit.
Huc me ferre gradus, vacuumque per aëra raptum,
  Me duce, non notas te jubet ire vias.
Nec tibi Parnaſi monſtrari culmina mandat,
  Quasve habitat ſedes ipſe, novemque Deae.
Nec petere Aoniam, gelidive cacumina Pindi;
  Illa tibi puero cognita terra fuit.
Has tibi jam tenero detexit Graevius oras,
  Quo duce poſt Latium Graecia preſſa tibi eſt.
Caſtalios latices, dulcesque Aganippidas undas,
  Jam tibi potandas Francius ante dedit.
Broukhuſioque tuo ſacri praeeunte receſſus,
  Antraque Coryciae ſunt venerata ſpecus.
Hinc tibi non tenues in carmen amabile vires,
  Hinc rigat ingenium vena benigna tuum.

Hinc

Hinc etiam ſtudiis dos admiranda ſeveris,
Lumen & ingenuis artibus omne venit.
Sed quia, quo, neſcis, tot inepta poëmata fonte,
Stultaque, miraris, ſcripta tot unde fluant.
Unde tot indocti foedent tua ſecula libri,
Et qua proveniant tot nova monſtra ſchola.
Qua ſita Barbaries ſit parte, inamabilis ora,
Quo rude ſtultorum regnet in orbe genus.
Eia age, & inculti ſi non deterreat agri
Horror, ait, tepidi ſtrata relinque tori.
Ne tamen indoctae noceant contagia plebis,
Hoc prius arcano membra liquore lava.
Dixit; & e phiala redolentem nectare ſuccum
Promit, & ambroſio tingit odore caput.
Pars bona Cecropii fragrabat munus Hymetti,
Seu Siculos, quos das, nobilis Hybla, favos.
Altera pars, Cypriis preſſus de floribus humor,
Pars quoque Palladii multa liquoris erat.
Pegaſeis lymphis dederant haec mixta Camenae
Mercurio, doctis pharmaca ſacra viris.
Tetraque ne puras vitiarent toxica mentes,
Antidotum Paean juſſerat eſſe potens.
Sic ubi munierat; me raptum crine per auras
Tollit, & exiguo tempore ſiſtit humi.

Et breve cum ſpatium mirarer, Barbara, dixit,
  Ut loca contingas, non mora longa venit.
Illa jacens cultis tellus contermina terris,
  Finitimo veſtram limite tangit humum.
Nec via praeruptis horrenda, nec aſpera ſaxis
  Impedit, aut vepres ſpinave crura ſecant.
Nec tibi naufragium ſcopuli minitantur acuti,
  Nec freta terribilis ſunt ſuperanda maris.
Mille patent aditus, & per compendia planae
  Plurima dat tritum ſemita vallis iter.
Hinc numeroſa colit regionem turba patentem,
  Vixque ſuum populum, ſit licet ampla, capit.
Sed cum Barbariae non ſit genus omnibus unum,
  Hinc varias ſedes gens ſibi quaeque legit.
Quinque tenent populi, diſcretis finibus, amplam,
  Diſſimiles ſtudiis ingeniisque, plagam.
Per tamen has omnes te circumducere gentes
  Si cuperem, nox haec non ſatis una foret:
Atque ideo leviter primas perſtringere partes,
  Ducere ſed mens fert interiore moras.
Prima tenent Myſtae, ſpecie venerabilis ordo,
  Quique rudem populum religione trahit.
Nube ſupercilii, & contracta fronte minaces,
  Queis pietas acies mentis habetur hebes.

Ex-

Explicat haec aliis gens ſancta oracula; linguas
Nec bene, queis nobis prodita, mente tenet.
Et quia, ubi tractant haec vere ſacra periti,
Ceditur his princeps, nec ſine jure, locus;
Hinc etiam ſtolido vates dominantur in orbe,
Et ſibi Barbariae debita ſceptra ferunt.
Sacrificam hoc turbam moderatur tempore Calchas,
Nomen ab oppreſſo qui Palamede tulit.
Hos ego, ſim quamvis Deus, interpresque Deorum,
Non niſi ſollicito ſuetus adire gradu.
Tu quoque, ſi ſapias, hanc gentem tangere noli,
Vibret in innocuum ne Jovis arma caput.
Nam memores iras, ignoſcere neſcia, nutrit,
Nec timet in fratres bella movere ſuos.
Sed, puto, te facient exempla domeſtica cautum,
Fataque te retrahent Patris Avique tui.
Proxima, Cauſſidicis impleta loquacibus, ora
Terrifico reboat nocte dieque ſono.
Sol ibi perpetua latet os caligine tectus,
Raraque per nebulas lucis imago venit.
Nulla dies caecis, ſed opaca crepuſcula noctis
Ambiguos faciunt ſaepe labare pedes.
Hinc etiam manco pars paſſu magna vacillat
Turpiter, & nutans partem in utramque cadit.

Adde, quod & ſpinis rigeant & vepribus agri,
Et faciat dubium latro cruentus iter.
Hic habitant lites, & amarae jurgia linguae,
Hic fera ſublata praelia pace vigent.
Jura dat hoc rabulis Dictator Ruſticus anno,
Verba rudi fundens ſemilatina ſono.
Hic, modo ſi primos intraverit advena fines,
Omnibus exutum tabe perire jubet.
Tertia, non doctis habitata Medentibus, ora
Barbarie craſſa vincit utrumque genus.
Hîc animo turpi, & vitioſo corpore, mille
Caedibus imperium nobilitatus agit.
Hanc quoque ne ſperes, duce me, contingere terram
Qua patet, humano tincta cruore rubet.
More Thyeſteo laniantur corpora cultris,
Non tumulus cineres, non tegit oſſa lapis.
Oſſea detractâ per compita carne figura
Ponitur; infeſtant ſpectra tremenda vias.
Ille canem lacerans, hic nudans viſcera felis,
Se putat humanum demeruiſſe genus.
Ille venena coquens, vitiatas inficit auras,
Fervidaque Aeaeis ponit ahena focis.
Hic, ſibi Mercurio viſus ſolertior ipſo,
Excoquit & flammis dura metalla novat.

Hic

Hic magicas herbas, unguentaque jactat Agyrtes,
Nec dubitat medio vendere verba foro.
Omnibus at ratio, &, Medicum qui perficit, uſus
Deficit, & morbi cauſſaque visque latet.
Terra ſalutiferos non illa Machaonas umquam
Vidit, tortores Carnificesque tenens.
Eſt avis in terris Medicus quoque doctus amoenis
Mirifica, & cygno rarior ille nigro.
Cumque tot occurrant, vix eſt de millibus unus,
Qui capiat Coi ſcripta verenda Senis.
Graecia, divinam quae nobis prodidit artem,
Vix Medicis nudo nunc bene nota ſono.
Finitima his regio, diſtinctaque limite parvo
Quarta jacet, falſis trita frequenſque Sophis.
Gens ignara jugi, nullo ſub Principe ſectas
Mille fovens, ſemper ſeditione tumet.
Pectoris indicium ſed longam vana ſeveri
Eſſe putat barbam, quae tegit hirta genas.
Pallia circumdant macie detrita pereſos,
Dextra tenet baculum, peraque terga premit.
Lucifugae triſtes hominum commercia vitant,
Raraque de tetrico pectore verba fluunt.
Hanc quoque praetereas, placidae ſi cura quietis
Sit tibi, nam caecis eſt via plena dolis.

Qui

Qui fugiunt oculos, laqueos & retia tendunt:
 Saepe tenent ſtrictos ſubdola lina pedes.
Cingitur obſcurâ fallax indagine tellus,
 Ut cadat in tectas capta juventa plagas.
Praecipue ſacris haec gens inimica Poëtis,
 Bellaque cum Muſis ſemper aperta gerit.
Nec Latius ſermo, nec Graecus provenit illis,
 Sed tamen ex lingua mixtus utraque ſonus.
Qualia nec Lunâ Medea venefica plenâ
 Murmura, Canidiae nec crepuere minae.
Omnia traduntur magicis implexa ſuſurris,
 Verbaque, quae fundit, non capit ipſe Sophus.
Et licet hic ſedeant triſti gravitate magiſtri,
 Non tamen illecebris fallere turpe putant.
Ante aditum Logice patranti lumine lena
 Nictat, & imberbes inſidioſa vocat.
Intus habet meretrix Sapientia falſa cathedram,
 Et Sophiae titulo templa dicata tenet.
Quatuor his tellus ampliſſima clauditur una,
 Undique quam fluvius cingit inertis aquae.
Haec reliquis vulgo jactatur amoenior ora,
 Ruraque finguntur delicioſa magis. (qua
Terraque cum Myſtis, Rabulis, Medicisque propin-
 Haec ſit, & attingat proximitate Sophos;
Om-

Omnibus ex illis huc partibus adfluit agmen,
Turbaque per pontes itque reditque frequens.
Incola divinas humanaſque improbus artes
Jactat, & ingenii fertilioris opes.
Arcadiamque Novam, veteris de nomine, dicunt:
Nam ſolet haec priſcos gens ſimulare ſonos.
Hic pecus auritum nebuloſis ſaltibus errat,
Et tumidum tollit ſidera ad alta caput.
Haec regio eſt, quo te me ducere juſſit Apollo,
Haec propero nobis eſt adeunda pede.
Huc ubi me ſaltu traduxerat Aliger uno,
Protinus eſt ſpecie mens mihi mota novâ.
Haeccine, magne Deus, mage culta prioribus ora?
Haeccine finitimos vincit amoena locos?
Cor tremit, & foedi conſpectu palpitat agri,
Membraque vix tactâ concutit horror humo.
Margine coenoſi ſteriles en fluminis ulvae,
Et luteam ripam canna paluſtris obit.
Non nemorum video laeteos ridere receſſus,
Non ſpargit virides arbor opaca comas.
Gramine non campi, non flavent meſſibus agri,
Florea non Zephyrus frigore rura juvat.
Et nive brumali montana cacumina canent,
Quae tepidis numquam ſolibus icta fluit.

O Deus, has propero terras fuge, docte, volatu,
Et mea felici membra repone loco.
Non ita fas, inquit; Te Phoebus ſquallida rura,
Et fatuis plenos viſere juſſit agros;
Quo nemus Aonium, ſacraſque libentius umbras,
Et loca deliciis uberiora colas.
Ut pretium diſcas doctrinae ponere verum,
Barbaries debet nuda patere tibi.
Vix ea fatus erat; cum ſe tulit obvia nobis,
Neſcio quo voces murmure turba movens.
Veſtis erat vario diſtincta colore catervae,
Nec modus immenſae garrulitatis erat.
Mox ſaliens ripa, picarum more, lutoſa,
Gutture rauciſono ter geminabat; Ave.
Praeſul, ut aëriis numen cognovit ab alis,
Stultitiae coepit carmine ſigna dare;
Et ſtolida implicitos lingua devolvere verſus,
Quos alacri plauſu caetera turba probat:
Nam, quia, tranſlatis elementis, nomina multis
Mercurii poterat vertere fracta modis,
Piëria ſimilem ſibi non credebat in arte
Vivere, nec lepidis verſibus eſſe parem.
Et quia, quae ſpatio ſuperabat, litera fratres,
Proderet arcana tempus & arte diem;

In-

Ingenii trunco fixit monumenta ſtupendi
Arboris, adventum teſtificata Dei.
Hîc mihi cum rurſus quateretur frigore corpus,
Auſpicio & tremeret cor mihi triſte malo;
Expediit virgam Deus, & caput icit inepti
Vatis, & aeterno membra ſopore ligat.
Nec tamen in ſomnis Anagrammata fundere ceſſat,
Temporis aut certi carmina plena notis.
Vix pede promoto venit ecce moleſtior alter,
Et fatuâ tales dat levitate ſonos.
Eſt mihi Rhetoribus ſubdacta oratio claris,
Qua ſoleo magnos concelebrare Deos.
Hac ego, mutatis, toties jam Numina, paucis,
Laudibus in coelum, plebe ſtupente, tuli.
Haec toties Satyros, & mulſit concio Panes,
Et tenuit Nymphas vox mea ſaepe leves.
Hanc tibi, nam furum Deus es, recitare libido,
Si vacuas aures tuque comesque dabunt.
Nec mora; ſed cultos ubi circumſpexit amictus,
Oraque compoſuit, conticuitque diu;
Tuſſiit, exque imo ſuſpiria pectore duxit,
Sic tandem attollens coepit utramque manum.
Corniger, o noſtris regnator maxime ſilvis,
Quem colit Arcadii ſplendor aſellus agri.

Lanigeri tutela gregis, coeleſte bovilis
Præſidium, & foedae nobile numen barae.
O bene! quod noſtris reſonet tua fiſtula campis,
Et caper ad dulces ſaltet ovisque modos.
Sed non Mercurius praeconia debita Fauno
Suſtinet ulterius, nec ſibi ſcripta dari.
Et feriens virgae perfrictam verbere frontem
Dejicit, & foedo contegit ora luto.
Ingemit, &, magni caſum miſerata magiſtri,
Supplicium furum turba veretur idem.
Et, fer opem, nam ſola potes, nocturna Laverna,
Clamat, & occultis eripe, Diva, dolis:
Si parat hanc purgare viris furacibus oram,
Arcadiam parvo tempore nemo colat.
Ille parens furum, Cacoque rapacior ipſo,
Vindicat in nobis, quod facit ipſe, nefas.
Quis ferat Autolycum piperata tangere dextra
Omnia, nec ſocios criminis eſſe pati.
Haeccine num ſimiles inter diſcordia concors,
Haec fraterna tibi jurgia, Diva, placent?
Non tulit obſcurae Deus haec convicia turbae;
Carcere, ſed faciam, furta luatis, ait.
Nam mihi cum turpi nihil eſt commune Laverna,
Nec, duce me, quiſquam furta nefanda facit.
Au-

Auſpiciis quicumque meis furatur, honeſte,
  Triſtia nec domino damna querente, rapit.
Sed mora, futilibus quam primo margine nugis
  Injicitis, dudum taedia mille dedit.
Interior nobis regio penetranda, moleſti
  Cedite, feſtinis, ſic volo, detur iter.
Turba odioſa fugit, ſe poſt ſpineta recondens,
  Territa pennigeri voce miniſque Dei.
Reſtitit at corvo ferali nigrior unus,
  Et caput & piceis horridus ora pilis.
Frigida Naſonis verbis epigrammata ſuetus
  Texere, vel vatis, Bilbilis alta, tui.
A teneris doctus famoſos condere libros,
  Sacrilego aut magnos ore notare Deos.
Aut, olido didicit quae fornice, mittere verba,
  Opprobrium Linguae, Roma diſerta, tuae.
Criminaque in Pediam ſolitus, quot carmina, legem
  Tot facere, & levibus vulnera mille modis.
Malleus e ferro, metuens quem dextera fuſtis
  Geſtabat, baculi vindicis inſtar erat.
Coepit hic obſcaenis Epigrammata promere labris,
  Carmine famoſo meque ducemque notans.
Sed Deus arrepti limoſo gurgite dextrâ
  Obruit impurum terque quaterque caput.

Oppletamque luto, quae tot convicia, linguam,
Fuderat, exſecuit, labraque junxit acu.
Et mutilum palo corpus ſuffixit acuto,
Membra darent corvis ut laceranda cibos;
Seraque poſteritas, exemplo territa tali,
Diſceret a turpi mentem inhibere probro.
Mox tamen ecce aliud ſe nobis obtulit agmen,
Et parat officio nos retinere novo.
State viri, clamans; regionem viſere noſtram
Si ſedet, hinc vobis dux capiendus erit.
Nam regit ambiguos non hic via regia greſſus,
Inveniet rectum nec peregrinus iter.
Ducimus errantem nos per compendia turbam,
Tangitur & ſpatio meta cupita brevi.
Arcadiae quicumque cupit contendere ad arcem,
Quae medio montis culmine vaſta patet,
Nos modo ſi ſequitur, non longas ingemet artes,
Sentiet aut aevi ſe brevitate premi.
Non gravis accinctos hic urit ſarcina, libri
Non juvenum duro pondere colla terunt.
Nec magis hic feſſo manat de corpore ſudor,
Quam ſi quis faciat languidus Urbis opus.
Protulit ut doctor ſtudioſae haec verba catervae,
Aêra pars magnâ caetera voce ferit.

Et

Et manibus parva protendens mole libellos,
  Ut legerem titulos ambitioſa petit.
Indicibus variis, quos nunc exponere non eſt,
  Spondebant faciles ad ſtudia alta vias.
Qualiter, Amſteliam ſi quis peregrinus ad urbem,
  Cui Paphiis aetas luſibus apta, venit,
Protinus, infamem promittens pellere morbum,
  Porrigitur turpi charta pudenda manu.
Qua miſer in fraudem ſi ſpe deceptus inani
  Incidit, errorem tempus in omne dolet.
Sed medicum longo ſi doctum conſulit uſu,
  Has juvenis technas inſidiasque cavet.
Sic ego Mercurii didici contemnere juſſu,
  Quae ſtudiis cladem, ſubdola dona, ferant.
Nam procul hinc, dixit Deus, i lenonia turba,
  Artibus exitium nata creare bonis:
Quae mala mens partes alienas ſumere ſuaſit?
  Munera quid, ductor perfide, noſtra rapis?
Me pater incertam juſſit conducere pubem,
  Et via ſub veſtro numine, dixit, erit.
Mercurium venerata Ducem, ſibi docta vetuſtas
  Ad Sophiae verae limina fecit iter.
Indice me Graecis patuere ſacraria Phoebi,
  Et Latium vidit, me duce, templa Dei.

Quos

Quos prior inſignes, quos haec fert ſerior aetas,
Sidera conſcendunt, me comitante, viri.
His ego doctrinae ſpatioſos detego fines,
Et praeeo lento lata per arva gradu.
Una, ſed illa via eſt longiſſima, plena laboris,
Et quam difficilem multa ſalebra facit.
Hanc quicumque tenet, nec devia quaerit, honeſtâ
Dulcia doctrinae praemia fronte geret.
Meta triumphales oſtendit longa coronas,
Barbarie domitâ quas ſibi victor habet.
At vos, qui petitis ſpatio *compendia* parvo,
Perpetua torpor tabe perire ſinat.
Ite, redite vias, o ſocors agmen, eaſdem,
Siſyphio ſuetum volvere ſaxa modo.
Haec Deus; at celeri per tritos concita calles
Barbariae repetit culmina turba gradu.
Sed quia non ultra, quo tenderet, eſſet, eodem
Tramite mox verſos fertque refertque pedes.
Haud procul hinc, piceis obſcuro floribus arvo,
Serta ſibi nectens viſa caterva fuit.
Spectabant omnes, demiſſo vertice, terram,
Et gremio lectas quisque premebat opes.
Quod genus hoc hominum, ductor fidiſſime, dixi?
Quem, precor, in finem tot ſibi ſerta parat?

Quae

Quae luteos tanto ſtudio decerpere flores
  Stultitia eſt, & vix germina digna legi?
Audiit in prati repens mea margine verba
  Unus, & attollit lumina, nosque notat.
Hos, precor, o Juvenes, devertite, clamat, in hortos,
  Si ſtudium cultae pectora vocis habet.
Carpite de calathis ſuaviſſima munera plenis,
  Eloquii noſtrâ vis bona creſcat ope.
Sive opus eſt gravibus, ſimulant quae fulmina, verbis;
  Pectora vel placidis flectere lenta ſonis.
Sive placet vobis vibrans ſententia, vel quae
  Lumina ſermoni, clara figura, facit.
Seu juvat exemplis conferre recentia priſcis,
  Seu juvat arguti fabula plena joci.
Omnia de largo fundet mea copia cornu,
  Multaque ſermoni gratia ſemper erit.
Tot mihi jam famam debent nomenque diſerti,
  Et viſa eſt noſtro munere lingua potens.
Langius ille ego ſum, trivialis fama palaeſtrae,
  Nec minus in magnis notus ubique ſcholis.
Purpureos docui centonibus addere pannos
  Rhetoras, & rapto vivere, primus Ego.
Per mea poſt ingens veſtigia turba cucurrit,
  Floribus ut veterum jam prope prata vacent.

C Hic

Hic *Polyanthea* eſt, hic *collectanea* vobis
  Dantur, & e doctis *formula* multa libris.
Hic *gradus* ad ſacri Parnaſi culmina ducit,
  Hic tibi divitiis plena *faviſſa* datur.
Haec *dormi ſecure*, haec *mecum vade* vocatur,
  Haec *comes* in longas charta parata vias.
Inſtruit haec Vates Oratoresque *ſupellex*,
  Haec inopi grandes *Gaza* recludit opes.
Jamque ſuas nobis operoſas tradere nugas,
  Corporis & vaſti vile, parabat, opus.
Cum Deus, o ſterili merito damnate labore,
  Has pueris merces vende, magiſter, ait.
Non eget his, puros ſolitus qui ducere fontes:
  Sed Tibi limoſas ſponte relinquet aquas.
Degener eſt, curâ qui non cumulare perenni,
  Et ſtruere immenſas ipſe laborat opes.
Sic pecus ignavum fuci ſubducere gaudent,
  Quae ſtudioſa ſibi mella coëgit apis.
Jamque Deus pergebat iter: mox impulit aures
  Appoſita veniens raucus ab aede ſonus.
Stabat humi depreſſa domus, caligine ſepta:
  Firmabant rigidae lumina caeca fores.
Carceris haec ſpecies, Deus inquit, inertis; & illum,
  Quem trepidas, faciunt ferrea vincla ſonum.
Hic

Hic humiles obſcura premunt ergaſtula lixas,
Quos jubet a caſtris Phoebus abire ſuis.
Hic capita aerumnis habitant damnata ſupremis;
Poenarum miſeros hic genus omne manet.
Grandia veſanis hic plebs ingloria curis
Lexica, terribili mole tremenda, facit.
Hic ſibi *Theſauros* linguarum congerit, ille
Nomina, queis populus quiſque notatur, habet:
Geſta ducum Regumque librum conſtipat in unum
Alter, & *Hiſtoriae Lexicon* eſſe jubet.
Temporis hic ſudat ritus conquirere priſci,
Quae ſacra, qui cultus, quae data jura foro.
Neve velit veterum luſtrare volumina quiſquam,
Quae brevitas vitae ſingula noſſe vetat;
Colligit Herculeis hic vaſtum *Lexicon* auſis,
Quod mare, quod terras, ſideraque alta capit.
Tempus ad hoc, quodcumque a nato contigit orbe,
Ordine jam prodit litera quaeque ſuo.
Aſpice, quam nigro CALEPINUS colla cucullo
Velet, & immundis faecibus ora linat.
Proximus, aeratis attritus crura catenis,
Ponderis HOFMANNUS ſub gravitate gemit.
Aurea ſed cohibent STEPHANORUM vincula dextras,
Nam tenet in triſti gens ea regna domo.

Pone ſedent plures, tenebroſo fornice clauſi,
Quos nimium miſeros vile fatigat opus.
Unica ſunt diro ſolamina carcere vinctis,
Quod ſoleat nexos viſere turba frequens.
Nullus enim hac edit regione volumina, qui non
Hinc ſibi praeſidium ſupplice voce roget.
Carceris ignavis ſcriptoribus atria fervent,
Et colit obſcuram vilior ordo domum.
Unus ibi ante alios, pannoſa volumina geſtans,
Et ſibi multiplici nomen ab arte petens;
Furtiviſque notis Latios ſpurcare Poëtas
Auſus, & iratis ſcribere multa Diis;
Vulnera qui dederat docto ſine fine Severo,
Multaque relliquiis Albinovane tuis?
Laeſerat & laceri diſperſa Philemonis oſſa,
Abſtuleratque tibi, culte Menandre, ſales;
Carceris umbroſi ſubiens penetralia, furtim
Regales Stephani deſpoliabat opes.
Quem Deus ut vidit, concepit fervidus iras,
Et pede protruſum juſſit abire foras.
Et, cito te referas, o furaciſſime ſcriptor,
Dixit, ad ignavis antra dicata viris.
Inter Ephemeridum ſartores regna teneto:
Serviat imperio bibliopola tuo.

His

His confecta levi ſummaria vende labore,
Creſcat & indicibus res tibi curta datis.
Fataque, te, lector diſcat, praefante, librorum,
Donaque dent fatui, queis tua furta dicas.
Sed, moneo, poſthac ne Commentaria ſcribas,
Foedaque ne maculet ſcripta venuſta manus.
Ordinis illa data eſt Criticis provincia primi,
Quaeque premit tantos aemula turba viros.
Hoc agat ille decus Franci *Salmaſius* orbis,
Scaliger hoc docti Rex agat ille chori.
Lipſius hoc ſumat, Belgarum gloria, munus,
Grotius has partes, *Heinſiadesque* ferant.
Nec minor hanc curam generoſo *Douza* parente
Vindicet, & Muſis *Voſſia* ſacra domus.
Detergat veteris maculas *Gronovius* aevi,
Accumulet *Barthi* ſedula dextra notas.
Sacrilegoque tuo laceratus *Graevius* ore
Oblitos doceat verba Latina loqui.
Broukhuſius nitida perfundat luce Poëtas,
Nec timeat Momos poſt ſua fata rudes.
Hos tu ſemideos, quos addit gloria coelo,
Et dedit aeternum fama benigna decus:
Hos tu quotidie petulanti, Zoïle, lingua
Caedis, & illorum creſcere clade cupis.

 Hos,

Hos, tamquam fatuos, tua ſcripta procacia rodunt;
Et velut eſſet iners & ſine mente genus.
Dum tonat haec, rabidamque Deus candeſcit in iram,
Fur dederat turpi jam ſua terga fugae;
Et pede ſuſpenſo vicinam repit ad aedem,
Antraque, queis tegeret crimina tanta, petit.
Dum fugit, agnoſco, furemque prehendite, clamo:
Alterius rapuit praedo nefandus opes.
Supplicium metuat, ſcelus hoc quicumque receptet,
Et dominis dubitet rapta referre ſuis.
Jamque Deo fruſtra juſtum remorante calorem,
Accelero paſſus, injicioque manum.
Sic tibi, me vivo, tot abibunt crimina? dixi,
Impia nec turpi ſanguine facta lues?
Quae fera probroſis moviſti praelia ſcriptis,
Jam capiti referam pernicioſa tuo.
Et faciam doctis ſis inteſtabile nomen,
Ne tibi quis poſthac poſſet habere fidem.
Te melior tyro naſo jam ludet adunco,
Et pueris tantus fabula doctor eris;
I, ſequere, obtorto raptus, nequiſſime, collo,
Ad ſolium Phoebi jam ſtatuendus eris.
Ut meritas referat convicta calumnia poenas,
Lexque notet frontem Remmia jure tuam.

Jam-

Jamque reluctantem ſummâ mea dextra parabat
  Vi trahere ad magni vindicis ora Dei.
Cum mea, Mercurius, ſervans veſtigia, juſſit
  A miſero, dictis his, cohibere manum.
Quae tibi damnato tam turpi gloria fure,
  Conſcia quem ſtimulis mens aget ipſa feris?
Palma nec imbelli te ducat ab hoſte relata,
  Qui tibi convictas jam dedit ante manus.
Fervor, & immodicus juvenilis pectoris aeſtus,
  Conſilio faciant, me monitore, locum.
Non probat hunc in te moderatior ordo calorem,
  Et ſatis invidiae ſcis ſupereſſe tibi.
Innumeros hoſtes, in te qui tela miniſtrant,
  Jam tibi libertas & pia lingua dedit.
Utilior, quaeſo, poſthaec te cura moretur,
  Nec pereat rixis turpibus hora fugax.
Ingenium placidas ſedatum transfer ad artes,
  Et ſtudiis veſtrâ gloria creſcat ope.
Mellea te teneant Peligni carmina Vatis,
  Vivat & officio culta Corinna tuo.
Qui rate Palladia temeratas prodidit undas,
  Membra tuâ videat ſana redire manu.
Obſequor, o, retrahoque manum, certiſſime ductor,
  Et mihi, quam pietas induit, ira cadit.

Hanc

Hanc tamen, in quam ſe fugitivus conjicit, aedem
  Auſpicio liceat jam penetrare tuo.
Hic, ait, Arcadiae ſublimis curia ſurgit,
  Barbariae proceres qua dare jura ſolent.
Arbiter hic doctum corruptus judicat orbem,
  Et fora Dictator ſaeva ſuperbus agit.
Qui tenet hoc faſces anno temerarius, hoſtis
  Ille tui cauſſam ſanguine junctus agit.
Dat veniam hîc balbis, vexat cenſura diſertos,
  Et notat eximios & ſine labe viros.
Nuncius e doctis huc advolat undique terris,
  Et nova mendaci murmure Fama ſerit.
Cernis Ephemeridas conductos texere ſcribas,
  Quas levis ingenti turba favore legit:
Et bona pars blando venalem munere gentem
  Allicit, & libris ambitioſa datis.
Scilicet ut laceris intexta volumina peplis
  Auctoris faciant nomina clara tui.
Hanc ſibi enim legem gens mercenaria dixit,
  Laudibus ut penſet munera miſſa datis.
Poſſidet hic multis conclavia ditia libris,
  Cui modo vix codex unus & alter erat.
Exiguo creſcit res huic libraria ſumptu,
  Datque novos cupide Bibliopola libros.

Im-

Imperat hoc cunctis vectigal Cenſor acerbus,
Et genus auctorum dura tributa premunt.
Sic ubi me monuit, Dominos hic eſſe ſuperbos,
Regia Mercurius tecta ſubire jubet.
Limine vix tacto; quicumque, reſiſte, viator,
Clamat, & inſano janitor ore tonat.
Quod genus? unde domus? qui te genuere parentes?
Quae tibi ſunt artes? quae tibi ſecta placet?
Quem titulum jactas? quod dat tibi patria nomen?
Quot tua jam libros impigra dextra dedit?
Omnia nam noſtris hæc conſignanda tabellis,
Ut tua poſteritas fata futura ſciat.
Proripe, Mercurius, te limine protinus, inquit,
Non agit hunc famae vana cupido virum.
Nec venit, ut veſtrae captet praeconia gentis,
Aut titulos turpi munere vilis emat.
Degeneres animos haec jactet nominis aura,
Inque vicem mulam mula ſtrigoſa fricet.
Magniloqua fatuis hos lingua vendite fumos;
Fallite, quos laudis ducat inanis amor.
Janitor, ut juſſus temerari cernit heriles,
Ad dominum, qui tum ſceptra tenebat, abit.
Hoſtis ïo! en, veſtros turbat novus advena fines,
Et parat infeſto tecta ſubire gradu.

BIBLIOTECA NAZIONALE TORINO

Haeccine, Dictator, toleranda audacia, magne?
  Sic tua contemni juſſa, nec ulte, ſines?
Jam coëat, fremit Hic turbata voce, Senatus,
  Ut ferat in dubiis turba ſodalis opem.
Fit ſtrepitus tectis ingens, reſonantque cavernae,
  Unicus in tota clamor, ad arma, domo.
Huic ſtilus, huic calamus, quem theca promit, acutus
  Sumitur, huic clypeus craſſa papyrus erat.
Sic ruit ad ſolium gens conjurata Tyranni,
  Pro domini cauſſa certa ſubire necem.
Unus Ephemeridum deerat celeberrimus auctor,
  Cui *Selecta* decus *bibliotheca* dedit.
Hunc oculis furioſa cohors, hunc voce requirit,
  Hunc petit ingenti murmure quiſque Ducem.
Sed, modo de manibus noſtris elapſus, opacam
  Repſerat in cellam, membra ligante metu.
Mox tamen, a ſociis latebra deprenſus in atra,
  Cogitur ad ſolium Principis ire ſui.
Siccine Dictator, timidiſſime, prodis amicos,
  Clamat, & imbelli non capis arma manu?
Quo tua nunc abiit famoſa protervia linguae?
  Quo cecidit mentis ſpiritus ille ferae?
Nunc age, pro cauſſa communi ſuſcipe ferrum,
  Telaque in infeſtum mitte parata caput.

Spon-

Sponte laceſſitus tibi jam venit obvius hoſtis,
   Et tua jam multo vulnere terga ſecat.
Nil mihi cum tali poſthac erit amplius hoſte,
   Reſpiciens leporis more fugacis, ait.
Cum mihi jam populis pandens oracula princeps
   Fixerit in celſis Ordo tropaea jugis.
Et mihi Philoſophi dederint jam terga fugati,
   Dic, quid cum Critico Grammaticoque mihi?
Qui niſi literulas & nudas vendere voces,
   Quaeque carent juſto pondere dicta, nequit:
Carmina vel venae ludit monumenta puſillae,
   Aut facit ad populum publica verba rudem.
At mihi quotidie creſcit nova pagina; nemo eſt,
   Qui numero plures ſcribat in orbe libros.
Edita qui nobis numerare volumina ſperet,
   Is citius numeret ſidera fixa polo.
Pigritiae vitam ſequitur laudator inertem,
   Jam vacuus marcet luſtra labore decem.
Me labor & famae commendat cura perenni,
   Hunc natum vix ſcit terra Batava ſibi.
Veſpera per luſus & pocula ducitur illi,
   Me vigilem mediâ nocte lucerna videt.
Huic ſolidae demunt partem convivia lucis,
   Me ſtudiis alacrem ſobria menſa refert.

Ille jocis mordax, dictiſque facetus habetur,
Me decorat nubes frontis opaca gravis,
Et nitor ingenii, morumque polita venuſtas,
Cultaque natalis munere lingua ſoli.
Aëre ſub denſo, craſſiſque paludibus orto
Huic animus Batava ruſticitate tumet.
Muneribus proceres, & plebs me laudibus ornat,
Jam canor Eois occiduiſque plagis.
Denique tam ſolidis mihi fulta eſt fama columnis,
Poſſet ut has juvenis ſpernere tuta minas.
Nec titulos dabit haec, neque laetos rixa triumphos,
Nec Leo cum damâ bella fugace gerit.
Unica, frangamus quibus hoſtem tela tumentem,
Sunt ſuper, o noſtri Rex venerande chori.
Ejus ut aeternis damnetur fama tenebris,
Poſtera nec norint ſecula facta viri.
Qui meruit noſtras, annalibus excidat, iras;
Nomina nec faſti commemorare velint.
Et data ſi fuerint temerè praeconia quondam,
Deleat haec juſſu facta litura tuo.
Dixerat, & turbam jam paene incenderat omnem,
Cum prope Mercurium meque venire videt.
Averſoque tremens poſtico elabitur, & ſe
Finitimae confert in regionis agrum.

Cae-

Caetera Mercurium, poſito, venerata, furore,
  Turba, ſibi numen conciliare ſtudet.
Neve ſuae noceant unius crimina genti,
  Sed premat auctorem debita poena, rogat.
Supplicibus veniam miti Caducifer ore
  Dat, placida demens fronte ſonoque metum.
Utilis eſſe poteſt doctis induſtria veſtra,
  Meta miniſterio ſi modo juſta datur. (men,
Veſtrum opus eſt,capiat quodcumque,docere,volu-
  Et nova doctorum ſcripta referre virûm.
Sit procul a tenui rabies faſtuſque labore,
  Et teneat verum ſcriptio veſtra modum.
Nulla magiſterii vobis inſignia Phoebus
  Eſſe, ſed ut ſitis nuncia turba cupit.
Nec grege de veſtro quiſquam cenſoria vibret
  Fulmina, nec procerum ſcripta verenda notet.
Imperioſa tonet ne vilis verba viator,
  Conſulis aut partes lictor acerbus agat.
Jam poſito repetat quiſquis ſua penſa tumore,
  Et ſibi mandatum viribus aequet opus.
Non mihi, confiteor, clementia tanta placebat,
  Viſus & eſt aequo lenior eſſe Deus.
Siccine, juſte Deus, toties qui caſtra tumultu
  Muſica turbarunt, lentus abire ſines?

Si tibi rixoſae, dixi, ſtat parcere genti,
Omnis in hoc unum recidat ira caput.
Jamque ego,ſi pateris,fugitivum perſequor,& queis
Se latebris quaerat condere, ſcire volo.
Annuit ut, ducente Deo, mox garrula linquo
Tecta, per averſas egrediorque fores.
Et premo dum campo fugientis terga patente,
Perſequor adverſi montis ad uſque pedem:
Inſtar enim modico ſurgebat vertice montis
Collis, & appoſitam deſpiciebat humum.
Arx ibi, ſed temere munita, cacumine ſummo
Arcadiae poſitas gentis habebat opes.
Praeſidium, variis miles collectus ab oris;
Maxima ſed Francae portio gentis erat.
Quae ſimul ac clivo popularem vidit anhelum,
Haec, ait, o patriae gloria, caſtra ſubi.
Quem fugis, o vindex hodierni maxime ſecli,
Et nova qui priſcis eſſe priora doces?
Te ſibi praefectus noſtrae Perraltius arcis
Imperii ſocium vellet habere ſui.
Nam, duce te, veteris mirantes temporis artes
Ingeniis vertent terga pudenda novis.
Te duce, de Latio ponemus & Hellade victis,
Ut decet, Armoricis laeta tropaea jugis.

Ar-

Arma cape; en noſtrae, quem tu fugis, imminet arci
  Hoſtis, & intrepidâ ſuſcipe frena manu.
Ille, ubi ſe tutum credit munimine valli,
  Imperii tumidus clamat honore novi:
Claudite jam ſocii portas, defendite muros,
  Diraque in adverſum ſtringite tela caput.
Excitus hoc media PERRALTIUS arce tumultu
  Proſilit, & pavidâ corripit arma manu.
Quis veterum, nigro, clamat, protractus ab orco,
  Vim parat, & regnis bella ſuperba meis.
Jam, puer, *alternis* dextram *ſermonibus* arma,
  Telaque fer, priſci queis cecidere viri.
Jam latus *interpres* ſtipet, vernacula turba,
  Et veteres noſtro quae docet ore loqui.
Scripſerunt patriâ qui *commentaria* linguâ,
  In medium ſtrictis enſibus agmen eant.
Tot *lepidos* nobis qui confecere *libellos*,
  Subſidio firment ultima terga ſuo.
Imperio extremum mecum tutabitur aequo
  Agmen, ad hanc noſtram qui fugit hoſpes opem.
Proditis ignotas qui tot majoribus artes,
  Sedula lixarum turba ſubite vices.
Dixerat: & portis aciem praefectus apertis
  Explicat, atque aditu me prohibere parat.

Sed,

Sed, ſimul ire Dei ductu me vidit ad arcem,
Ignavâ fugiens projicit arma manu.
Ultimus exierat, repetit munimina primus,
Qui modo in imperii parte receptus erat.
Caetera turba, ducum vanos imitata pavores,
Feſtino rediit in ſua ſepta pede.
Vectibus hic portas, hic objice munit aheno,
Ferratas geminat poſtibus ille ſeras.
Sed labor, ut ſemper, miſeros laſſabat inanis,
Nam, feriente Deo, mox patuere fores.
Sponte, ſeris lapſis, ſe ferrea clauſtra relaxant,
Et media jam me ſiſtit in arce Deus.
Atque, age, Barbariae Theſauros inſpice, dixit,
Et quas praecipue poſſidet Arcas opes:
Incutiat nullum levis armatura timorem;
Jam poſuit juſſis arma coacta meis.
Inque ſuas calamum tractat dilapſa cavernas,
Quae modo vibrabat dextera tela minax.
Ad laevam domus ampla jacet, depreſſaque multo
Fornice, quae tecto vix ſuper extat humum.
Hic latet Arcadiae ſub terra condita Gaza,
Haec, duce me, domus eſt jam ſubeunda tibi.
Atria ſubluſtri pellebant luce tenebras,
Quam dabat auratis multa taberna libris.

Pro-

Protinus intranti nitidos eme, culte, libellos,
  Hoſpes, ait blando Bibliopola ſono.
Seu libet obſcuros Orientis diſcere reges,
  Raptaque Pellaeâ Perſica regna manu.
Seu vacat hiſtorias populi luſtrare Quirini,
  Fata vel Auguſtae ſcire viceſque domus.
Sive placent Tragici ſublimia verba cothurni,
  Seu recreant ſocci dicta jocoſa levis.
Seu juvat arcanas rimari Principis artes,
  Aut populum rector qua ratione trahat.
Sive polit mores ratio quae mira venuſtos,
  Seu bene dicendi cura lepoſve movet,
Omnia non tetricis hîc en conſcripta magiſtris,
  Francia quos populis ingenioſa dedit.
Sed procul a noſtris, ſi quaeras forte, tabernis,
  Quos facit horribiles lingua Latina, libri.
Nec mihi, doctrinas quae tradat, charta moleſtas
  Venditur, aut criticis pagina plena notis.
Hic quoque non turpi carioſa volumina tabe,
  Vermibus exeſos aut tibi finge libros.
Si tibi fumoſus, ſi tectus veſte ſuilla
  Delicias faciat ſcriptor, abire licet.
Emtores tibi quaere, novis qui lenta libellis
  Otia, Mercurius, fallere, dixit, amant.

E Queis

Queis labor & pretium pereunt, hac merce parata,
  Scriptave queis iterum projicienda placent.
Mox ſonus ex aula media pervenit ad aures,
  Et mea convertit lumina turba frequens.
Rhetor ab excelſa faciebat verba cathedra,
  Arcadiae dotes deliciaſque canens.
Maxima materies, Francae praeſtantia linguae,
  Et nitor, & ſecli forma polita novi.
Quis furor, exclamat, veteres ediſcere linguas?
  Perdere quis ſtudio tempora prima levi?
Quid tibi cum lapſis, pubes popularis, Athenis?
  Quid facit ingenio Graecia vaſta tuo?
Cultior eſt noſtro ſub Rege recentior aetas,
  Quam prius, Auguſto Principe, Roma fuit.
Ingenio populum quae Francia vincit utrumque,
  Eloquii ſuperat vi quoque ſola duos.
Miretur rapidi ſi quis Demoſthenis arma,
  Fulminei ſtupeat qui Ciceronis opes:
Audiat is noſtros cauſſas orare Patronos,
  Et decus hoc, dicat, ſecula noſtra ferunt.
Quae mihi verboſus non taedia fecit Homerus?
  Et vix humano Pindarus ore tonans.
Quem tua tam tangunt numeroſa poëmata, Flacce?
  Cui pius AEneas Aſcaniuſque placent?

Rus-

Ruſtica jam tua ſunt, teneri Praeceptor amoris,
  Carmina, nec noſtris moribus apta ſatis.
Cynthia vix levibus jam pulchrior eſſe figuris
  Creditur, & nullum Delia nomen habet.
Quis tibi jam ſcenae vellet dare regna, Terenti?
  Laudaretve tuos, frigide Plaute, jocos?
Tot tibi tamque dabit facundos Francia vates,
  Immodicam rabiem qui cohibere ſciant.
Queis calor ad leges, quas fert nova turba, domatur,
  Nec niſi cum ſana qui ratione furunt.
Quis legat hiſtorias, o mendax Graecia, veſtras?
  Aut amet annales, credula Roma, tuos?
Vix pueros ducunt noſtrates Caeſaris acta,
  Bellaque Pellaei prodigioſa Ducis.
Impleat hoc aevum Ludovici gloria Magni,
  Materiem libris millibus ille dedit.
Geſta triumphalis, populares, condite Regis,
  Qui rediit victor ſemper ab hoſte domum:
Et ne poſteritas tot credere mira recuſet,
  Occupet haec noſtras unica cura manus.
Eſt animi nobis libertas rara, fideſque,
  Et bona mens, culti fida magiſtra ſtili:
Haec puero primis ſint ſola elementa ſub annis,
  Jam tener ut Regem diſcat amare ſuum.

Hinc veniet rerum multo tibi grandior uſus,
Quam ſi praeteriti temporis acta legas.
Si tamen e Latio vel Graeco fonte rigandas
Ingenii venas pauperis eſſe putes.
Ecce tot in noſtram converſa volumina linguam,
Quas pia nativas dat tibi Mater opes.
Jam poteris doctus, jam jure diſertus haberi,
Excutias patriae ſi modo ſcripta tuae.
Hoc precor ad dextram conclave intrate, juventus,
Quantaque ſit noſtri, diſcite, gaza ſoli.
Haec habet interpres ſpatioſi membra Palatî,
Hic vertit veteres impigra turba libros.
Dividit his aequa Praefectus lance labores,
Et famulae ſubeunt penſa diurna manus.
Huc ego, pertaeſus declamatoris inepti
Jurgia, Mercurio, me, praeeunte, fero.
Ordine perpetuo ſubſellia longa tenebat
Turba, caput cubito fulta, ſtilumque tenens.
Servabant cuncti taciturna ſilentia, & ora
Albebant cera pallidiora nova.
Pulpita celabant librorum mole latentes,
Spiſſaque ſtipabant Lexica utrumque latus.
Scalpebat caput hic, digitos rodebat & ungues
Alter, in hirſutas ibat at ille genas.

Vel

Vellebat ſparſos alius ſine lege capillos,
Hic ſibi tundebat pectus utraque manu.
Ille minabatur muros faedare cerebro,
Quod nova non priſco vox foret apta ſono,
Quodque diem membro cum totum impenderit uni,
Cerneret elumbi repere verba gradu.
Unus erat, denos qui bis ſudaverat annos,
Curtius ut poſſet veſte nitere nova.
Hic *Taciti* tentans aenigmata vertere Francis,
Egerat in tenebris plurima luſtra nigris.
Jam duo Pindarici jugularant carmina *Flacci*,
Tertius & munus jam rapiebat idem.
Quid referam gemitus & lamentabile murmur?
Quo veterum implebat ſaucia turba domum.
Hic *Cicero* primum ſucciſo poplite labi,
Hic lacero viſus pectore flere *Maro*.
Hic meus, a ſtolido nudatus milite, raptas
Lugebat veneres, *Arbiter*, ire ſuas.
Miſcebat lacrymas tenerorum *Luſor amorum*,
Delicias poſtquam ſenſit abiſſe ſibi.
Talis erat Gothico facies populante furore
Italiam, docti quo periere libri.
Sic erat, ingenuas cum Turcus perderet artes,
Pelleret & doctas ex Helicone Deas.

Haec recolens, iterum noſtrum trepidare puſillum,
Et mea vitantem lumina, cerno, virum.
Hac quoque Barbariae, tu Gallule, parte moraris?
Hic quoque tu pretio vertis, inepte, libros?
Jam mihi ſupplicium pendes reprehenſe, nec ultra
Effugies noſtras, improbe latro, manus.
Parce per, o, clamat, veneranda oracula Chriſti,
Quae tibi protendo verſa labore meo.
Impie, divinas tibi quis corrumpere chartas
Suaſit, & impurâ tangere ſacra manu?
Qui, pia Chriſtiadum quae gens Myſteria credit,
Cuncta jubes tectis fraudibus ire foras.
Relligio, ſciſſos dudum laniata capillos,
Se doluit miſere, te jugulante, mori.
Quae pietas Regem movit ſpectata Boruſſum,
Movit & ardorem, Terra Britanna, tuum.
Haec eadem Belgas ſanctas flammabit in iras,
Ut ſua ſit ſummo gloria ſalva Deo.
Et tua vindicibus jam cernes ignibus uri,
Sciſſaque carnificis ſcripta perire manu.
Haec ego dum toto commotus pectore fundo,
Jam trepidâ noſter verterat ora fugâ.
Mercuriuſque ſequi, leni ſermone, parantem,
Increpat: o furiis hunc modo linque ſuis.

Cas-

Caſtus in infeſtum jam plures Numinis hoſtem
Armavit Myſtas relligionis amor.
Me ſequere, & noctis cum pars modo parva ſuperſit,
Has, duce me, patulas ingrediare fores.
Par erat hic ſpatium, ſimiliſque prioris imago,
Multaque ſcribentum turba jacebat humi:
Et, *Polyantheis* congeſtos inter acervos,
Alterius cupide diripiebat opes.
Deque *locis* furans *communibus* omnia, grande
Promebat parvo tempore ſcriptor opus.
Lexica cum *Gloſſis*, *analecta*, *theatra*, *medullae*,
Theſauri, *methodi*, *bibliotheca*, *penus*.
Faſciculi, *flores*, *ſyntagmata*, *ſymbola*, *ſilvae*,
Notitiae, *tabulae*, *lampas*, *acerra*, *faces*.
Deliciae, *phraſes*, *ſuadae*, *proverbia*, *claves*,
Atria, *veſtibulum*, *janua*, *porta*, *viae*.
Et quae praeterea jejuno ſueta ſupellex
Materiem craſſis ſuppeditare libris.
Omnis in immundis erat haec farrago grabatis,
Corpore quos humiles turba premebat iners.
Mox medios inter video diſcurrere lectos,
Queis erat in dextra parva crumena manu.
Agnovi, & mecum, gens haec libraria certe eſt,
Cui pretio grex hic vendere ſcripta ſolet.
Edi-

Edita jam pridem reparare volumina, quidam,
Et nitidis, clamat, ſtat renovare typis.
Dote nova poteris qui curam ornare recentem,
Huc ades, & doctis amplificare notis.
Sed mora, ne lucrum pereat mihi, longa faceſſat;
Cras operis debet pagina prima dari.
Septima quaeque dies foliis ſit meta quaternis,
Sex habeat finem menſibus iſte labor.
Hanc quicumque fidem dederit, ſeſtertia ſeptem,
Bis feret, & denos, munera larga, libros.
Tollit ad haec avidas promiſſa *Minellius* aures,
Seque levant *Thyſius*, *Farnabiusque* toris.
Hoc mihi, projecta ferulâ, *Schrevelius*, inquit,
Si tibi ſint cordi commoda, detur opus.
Mox alii, quorum niſi Ludi nomina Rector,
Nemo tibi dicat, vociferantur idem.
Nos pete, *Germani*, gens indurata labore,
Clamant, ſi lucri pectora tangit amor.
Contenti modica mercede, volumina vaſto
Pondere conſuemus prodigioſa dare.
Ubere praeterea ditabimus indice molem,
Frons & erit titulis ambitioſa novis.
Emerita mihi nil cum gente, librarius inquit:
Jam poſcunt alias tempora noſtra manus.

Gens

Gens mihi de culto quaerenda politior orbe,
Cui bene ſcribendi mens cynoſyra bona eſt.
Hanc mihi,ſi quis adeſt,operam det honeſtior ordo,
Francia quem fauſto ſidere terra tulit.
Haud ſatis eſt obſcura notis exponere longis,
Tritaque vulgatis promere dicta libris.
Ipſa ſed Auctorum verbis confuſa novatis,
Perpetuo filo reddere verba decet.
Haec nova divino Francis ars tradita dono,
Et venit haec libris maxima lena novis.
Surgit ad has voces immenſa tapetibus altis,
Purpureiſque levat membra, caterva, toris.
Grandiaque attollens aurata volumina dextris,
Principibus, clamat, plebs date vilis iter.
Qui Latio profugis, & pulſis Hellade Muſis,
Munificus Princeps hoſpita tecta dedit,
Edere *Delphini* veteres nos juſſit *in uſum*,
Quot reliquos fecit dira ruina, libros.
Obtigit haec largi nobis provincia juſſu
Regis, & haec noſtro ſunt data jura choro.
Non ſinat hoc, latebras erumpens, clamat, Apollo,
Gallulus, Arcadiae civis ubique ſuae.
Magna premit noſtram per vos infamia gentem,
Jamque ſumus Belgis Teutonibuſque jocus.

F Has

Has ego, qui variis implevi pectora rebus,
  Pro Gallis partes omnibus unus agam.
Teque clientelae gens dede libraria noſtrae,
  Si ſapis, & noſtris legibus ede libros.
Sufficit emtori, licet omnia debita deſint,
  Si modo noſtra gerat nomina fronte liber.
Plura locuturus, per turbam lumina volvit,
  Obticuitque, Deum meque venire notans.
Nec mora, ſe foribus trepidans ejecit apertis,
  Se latebris ſperans condere poſſe novis.
Inſequor, & reprimente Deo conamina fruſtra,
  Omnibus hunc vaſtae partibus arcis ago.
Ut tamen obſeſſum ſe ſentit ubique, nec ullum
  Securum tota vidit in arce locum.
Confugit ad muros, & trans munimina curſu
  Dum ſalit, offenſo crure, recumbit humi.
Nec minus, has claudo vires addente pavore,
  Per vacuos campos & loca plana fugit.
Donec ad Arcadiam quod flumen circuit omnem
  Venerit, aſſidue poſt ſua terga videns.
Moxque, ſuum mittens coenoſas corpus in undas,
  Oppoſitam tetigit feſſus & udus humum.
Seque Melanchlaenis, (nam fors hanc obtulit oram)
  Miſcuit, ut requiem poſſet habere brevem.

Oc-

Occupat amplexu venientem laetus *Arius*,
Hoſpitis & veteris colla, *Socine*, premis.
Et tunc forte vagans dubiis *Spinoſa* Sophorum
Finibus, ad cari vindicis ora ruit.
Treſque ſimul junctis feriunt his aethera verbis,
Quartus in hoc noſtrum foedus, amice, veni.
Conſilio ſimili, ſed diſpare fraude, premenda eſt
Relligio, & tectis concutienda dolis.
Haec ego Barbariæ ſpectans ſublimis ab arce,
Degener, aeternum, Gallule, clamo, vale.
Jam tibi, quod reliquum ſupereſt, exerceat aevum,
Et requiem feſſo garrula turba neget.
Nos premimus, fateor, ſed gens haec conficit hoſtem,
Nec, niſi ſit leto traditus, ira cadit.
Mox oculos referens poſt terga, ducemque requirens,
Mercurium ſenſi triſtis abeſſe mihi.
His mihi quid, clamo, deſerto fiet in oris?
Quis mihi praeſidium, quis mihi tutor erit?
Innumeris regio ſcatet haec incondita monſtris,
Jam rapient ſaevi viſcera noſtra lupi.
Haec mihi dum fingo, ſummus me concutit horror,
Et fugit, aurora jam veniente, ſopor.

N A R R A V I.

IN

CENTESIMUM ET QUIN-QUAGESIMUM

ACADEMIAE LUGDUNO BATAVAE NATALEM.

dictum Leidae in celeberrima Panegyri d. viii. Febr. CIↃ IↃ CCXXV.

DIcamus bona verba: dies ſollemnia poſcit
Gaudia, votivis teſtificanda modis.
Muſa, ſeneſcenti torporem expelle Poëtae,
Et novus inflammet pectora pigra calor.
Pegaſeoque rigans arentia labra liquore,
Praecipe deſuetum, Calliopea, melos.
Ingenii Cyrrhaee dator famaeque, moventi
Da veniam oblitae plectra, benigne, lyrae.
Non ego ſponte mea, facilive fluentia vena,
Paene ſed invitus, carmina juſſa canam.
Te quoque, Bacche pater, vatum tutela, vocarem;
Muſa ſed hoc faciet ſobria ſacra die.
Rectores patriae, ſpecies auguſta ſupremi
Ordinis, e pavidi corde fugate metum.

In-

Ingenuas artes Batavumque tuentia Pindum
Numina, propoſitum dextra juvate meum.
Addita Palladio cuſtos, Antiſtita Phoebi,
Leida, Meduſaeo tuta ſub orbe, fave.
Leida fave: tuus ille dies, qui primus honoro
Vidit Apollineum ture calere focum.
Sacra fero, quae nunc gratantis parva coronae
Pars tibi, vel nemo forte, iterata feret.
Hac Pandioniâ quondam tellure fugata
Attigit Hollandas luce Minerva domos.
Phoebus Hyantaei pulſus de vertice montis
Exhauſtos ſubiit Marte fameque lares.
Jamque bisobſeſſam, vacuamque colentibus urbem
Dignatae Aonides exhilarare Deae.
Quae facies tunc, Leida, tibi? quae forma reductae
Urbis ad exſtinctae munera lucis erat?
Cum tibi Naſſavii, per perdita rura natantis,
Oſtentaret opem provida dextra Ducis.
Cultaque diluvies corrumperet utilis arva,
Damnaque camporum commoda tanta darent.
Cum tua de muris ſubitam trepidantis Iberi
Eſurie adſpicerent ora pereſa fugam.
Quaeque ſuperfuerant male viva cadavera tabi,
Damnoſo explerent ventris inane cibo.

Magna equidem, nec longa tamen, ſolatia Princeps
Tunc dabat, aut tantis aequiparanda malis.
Moeſta per incultos & vaſta ſilentia vicos,
Triſtis erat raro ſemita trita pede.
Limina ſqualebant, deſolatique penates,
Frigebat medio clauſa taberna foro.
Non ſtrepitus tectis, non ulla frequentia templis:
Curia, ſublata parte, relicta, patrum.
Horret ad adſpectum viduatae civibus urbis,
Et lacrimis Princeps irrigat ora piis.
Jamque ſubit nova cura ducem, replere vacantis
Vaſtitiem certa qua queat arte loci.
Illa potens belli, toties quae fulmen Iberis
Torſit, & adverſas dextera fregit opes,
Vertitur ad placidas manſuetae Palladis artes,
Et titulos palmae nobilioris avet.
Turpe erat ingeniis obſtructum Helicona Batavis,
Clauſaque damnatis eſſe Lycea viris:
Diſcendi cupidis inimica palaeſtra negabat
Montis ad Aonii pandere culmen iter.
Si quis ad externos tulerat veſtigia ludos,
Portabat patriae tetra venena redux.
Pulpita monſtroſis reſonabant hoſtica nugis,
Et ſchola deformi ſorde jacebat iners.

Nam

Nam faciles tenerae mentes corrumpere pubis
Doctoris ſtudium prava monentis erat.
Impia de ſuperis tradebat ſcita magiſter
Grudius, & fictis Flandria plena deis.
Non patrias leges, ſaevo temerante tyranno,
Non poterat tyro diſcere jura fori.
Non juvenum poterant in libertatis avitae,
Fingere tutelam pectora cara patres.
Mattiacum Batavo fœdus vix junxerat artum,
Vincula Naſſavia bina ligante manu.
Walchria Caſtalio profugas qui fonte Sorores
Ambiret patrio figere vafra ſolo.
Inſula, naſcentis quia libertatis origo
Exuerat dominum, Walchria, prima jugum,
Hoc ſibi captabat decus immortale. Merenti
Haec refer, ô clamat, praemia juſta, Pater.
Magne Pater patriae, nos primi ex arce Tyrannum
Egimus audaci per freta noſtra manu.
Nomen Arauſiaci jurare in Principis auſi,
Duraque ſervitii rumpere vincla, ſumus.
Haeret; & ambiguo vix Princeps ſuſtinet ore
Debita ſic meritis dona negare viris.
Fama volat, Batavumque quatit rumoribus orbem,
Numina Zelando docta locanda ſolo.

Leida

Leida pavet, longamque ſibi per ſecula laudem
   Ne rapiat ſtudiis aemula terra, tremit.
Mittit ad obſeſſas qui cauſſam Principis aures
   Flexanimis moeſtae vocibus urbis agant:
Quae, Pater, invidia eſt, Batavis Tibi ſemper amatis
   Hoc dare munifica mente perenne decus?
Quid tibi cum placidis, Gens o Neptunia, Muſis?
   Quid tibi cum miti, Nautica turba, choro?
Fluctibus arcanae turbare quid atria ſaevis
   Palladis, & rauco murmure templa paras?
Naufraga veſani non haec Dea litora ponti,
   Otia ſed tuti dulcia ruris amat.
Pimplaeos latices, non ſalſas aequoris undas
   Indomita Hippotadae quas agit ira, ſitit.
Finde procelloſi, nihil obſto, marmora Nerei,
   Et vaga diſcurrat per freta mille ratis.
Praedantes cumulet dulci Nehalennia lucro,
   Horreaque aligero rumpe favente Deo.
At mihi Pieridum myſteria caſta relinque,
   Apta magis tacitis ſunt mea rura ſacris.
Commendat me laeta quies, blandique receſſus,
   Quique nitens verno ridet honore locus.
Denique quis veſtra coluit de gente Camenas?
   Eloquio, dic, quis, carmine quiſve potens?

Quo

Quo myſta praeeunte modos, Zelanda, dicabis,
Quo, Charitum, poſtem vate tenente, domum?
At mihi, *Douſa*, ſacros jam vaticinatus honores,
Pallada privata religione colit.
Phocidos inſtar habent *Jani* penetralia, ſedes
Illa diu bifidi montis imago fuit:
In mea Mopſopias pridem devexit Athenas
Moenia, Douſiaco carmine tracta, Dea.
Me penes auſpiciis ſurgant communibus arae,
Publicus hîc populo fumet utrique focus.
Scilicet Aemonias lauros, & Theſſala Tempe
Deſeret, & Phoebus litora ſola colet.
Stultus arenoſis mutans Parnaſia dumis
Culmina, in aequoreis fana locabit agris!
Malit Oronteam viridante reſurgere Daphnen
Rure, quod obliquo flumine Rhenus alit.
Verba Ducis mentem, jam nunc Leidenſibus aequam,
Et patriae virtus clade probata, movent.
Cauſſa perorata eſt, inquit: diſcedite laeti,
Et mea victores dicta referte domum.
Douſa meus jaciat Clarii fundamina templi,
Conſecret ingenuis artibus ille locum.
Ille novem excipiat, Phoebo ducente, Sorores,
Cecropiamque nova Pallada ſede locet.

Obvia laurigerae ruit urbs excita choreae
Sedibus, & *Douſae* voce manuque favet.
Laeta ſonant, luctus veterumque oblita malorum,
Compita, & alterno murmure turba fremit.
Surgite frondentes hederae, conſurgite lauri,
Naſcere Arauſiaca conſita oliva manu.
Mollia Douſiaco plantaria creſcite cultu,
Creſcite, & in pingui luxuriate ſolo.
Vivida Chriſticolae jam ſemina, creſcite, coetûs,
Creſcite, legifero nata juventa foro.
Creſcite, quae ſuccis & freta potentibus herbis
Poeoniam miſeris, turba, feretis opem.
Tu tamen, o Phoebo Muſiſque dicata ſeveris,
Laeta ſuper reliquos tolle, caterva, caput.
Artibus eloquium mutis dotemque miniſtra
Pauperibus, cornu divite Suada potens.
Douſa, chori deus ille tui, delubra canendo
Dedicat, & Muſas in nova tecta vocat.
Ibit in exemplum, manibus formanda paternis,
Pieriae proles mox numeroſa domus.
Eripe te populo, divina Poëtica, vili,
Aſtraque ſublimi vertice ſumma feri.
Nubila telluris ſuper, & ſuper alta vapores,
Diſce per aërias pura volare plagas.

Te

Te penes imperium longos ſtetit omne per annos,
Praecipuum reliqua dante cohorte locum.
At nunc regna tenent ſubſellia prima togati
Ordinis, & vates ambitioſa premunt. (das
Sed tamen inſtabiles, iterumque iterumque novan-
Gloria doctrinas non diuturna manet.
Vidi ego, qui numero librorum & mole tumebat,
Exſequias vivum foetibus iſſe patrem.
Vidi ego clamoſo ſtipatos agmine, quorum
Mox cum diſcipulis fama ſepulta fuit.
Obruit audacem ventoſior alter Agyrtam,
Et novus antiquum pellit ab arce Sophum.
Finibus anguſtis, ſpatioque coërcitus arto,
Egreditur patria vix regione tumor.
Sola, per immenſum ſpatiata Poëtica mundum,
Grande dat ingeniis, & ſine fine, decus.
Nec timet Eloquii vis temporis ulla ruinam,
Hiſtoriaeque carens morte manebit honor.
Sis odioſa licet, fatuoque moleſta magiſtro,
Vatis & arguti lingua diſerta viri.
Funere livor edax, nigroque calumnia dente
Ceſſat, & exoritur ſplendor ab igne rogi.
Lipſius ille, novi lux & dos prima Lycei,
Vivet, & implebit Solis utramque domum.

Baudius, ille pater Venerum, quaeretur, Iambus
Dum placet, & lepidis litera plena jocis.
Carmina *Scaligeri*, numquam peritura, legentur,
Dum celeres Atheſis volvet in aequor aquas.
Monſtrorum domitor, veteris certiſſime ſecli
Conditor, haud niſi cum tempore, *Iuſte*, cades.
Te canet Heſperiis, te commendabit Eois
Calliope doctis vatibus ora movens.
Heinſius ille, tui felix ſucceſſor honoris,
Digna dedit cineri carmine juſta tuo.
Prodigium ſecli, quo non velocius umquam
Ingenium aut venam Teutonis ora tulit,
Nil tamen eximii, quo ſe jactaret, habebat,
Scaligero numeros quam placuiſſe ſuos.
At non ille, ducis turbatus funere, ſolus
Victuris cecinit publica damna modis.
Grotius, obſtupuit genetrix quo Belgica nato,
Belgica, mox raro dira noverca viro;
Ingenii monumenta, ſcholae Leidenſis alumnus,
Qui vagus externa prodidit exſul humo;
Heinſiacae ſocians feralia carmina chordae,
Scaligeri jurat morte labaſſe polos.
Quaſſaque Leidenſis graviter faſtigia templi
Interitum ſtudiis praemonuiſſe bonis.

Hor-

Horrida *Cunaeus* Themidos ſpineta viretis
  Palladis alternans, gratus utrique Deae,
Nunc quoque in Elyſiis Scalanam vallibus umbram
  Perdita Veronae ſceptra tenere canit.
Addite *Scaligero*, judex ſanctiſſime, Regi,
  Jura dabis nigro poſt tua fata gregi.
Terror, & inſulſis flagrum, *Cunaee*, Vacerris,
  Barbariae ducibus tu Rhadamantus eris.
Adgemit his culti moerens *Scriverius* oris,
  Proteaque ingenii fata ſubiſſe dolet:
Simideique brevem condens *Rutgerſius* urnam,
  Ad ſuperas manes vidit abiſſe domos.
Inter avos ingentem animam *Vulcania* coelo
  Inſerit, Argivo carmine Muſa potens:
Laetius hinc alium, ſterili remanente favilla,
  Phoenicem Batavis creſcere poſſe negat.
Denique ad Herois tumulum manus enthea Vatum,
  Quos numero plures Leida fovebat, adeſt.
Implicitique comas taxo, dextraſque cupreſſo,
  Ter tacito luſtrant ore graduque rogum;
Et ſimul exſtinctas plorant cum Principe Muſas,
  Grotiade querulo murmure dante modum.
Qui recidiva tamen Leidam ſperare renaſci,
  Heinſiade Phoebi ſacra novante, jubet.

Felices animae, quas vis arcana recentis
Palladii, & magni contigit aura Senis.
O mihi, ſi tenuis fluxiſſet rivus ab illo
Flumine, quod vivis ora rigavit aquis!
O utinam nec in haec aetas dilata fuiſſet
Secula, verveces quae dare jura vident.
Leida, Poëtarum nutrix, linguaeque potentum
Mater, & Hiſtoricae dives alumna facis.
Tunc ſuper Europae celebratas artibus urbes
Fama frequentatae lauſque erat una ſcholae.
Nulla ſed humanis ut ineſt conſtantia rebus,
Senſiſti dubiae ſortis & ipſa vices.
Cum patriâ Batavas, quid enim ſimulemus, Athenas,
Preſſit, & innocuos nigra procella viros.
Voſſius, aeternis nomen memorabile faſtis,
Invidiae afflatus fulmine damna gemit.
Verſibus & Sophiae ſtudiis *Barlaeus* honeſtae
Inclytus, haud potuit jure tenere locum:
Amſtela, Leidenſi quos indignante Minerva,
Juſſit Athenaeum condecorare novum.
Dextera, quae numquam ceſſaverat, impigra *Meurſî*
Promere congeſtas heu! prohibetur opes.
Et licet heroo pactas tibi, Leida, Camenas
Carmine conciliet, non placuiſſe dolet;

Cri-

Crimine cum vacuus numeroſa volumina crimen
   Sede ſua motus ſenſit habere novum.
Triſtia ſed valeant, purum maculantia ſolem,
   Nemo bonus patriae quae reditura vovet.
At mea praecipuo quo te canet ore Thalia,
   Quem ſpolium de te, France, Batavus habet?
Unica, *Salmaſi*, ſpecies & imago capacis
   Pectoris, & mundi Bibliotheca movens:
Qui doctos vagiſſe modos jam traderis infans,
   Et puer emeritos exſuperaſſe ſenes.
Quem nihil antiqui, patet, ignoraſſe novique,
   Romula, ſeu ſi quid pagina Graeca dedit.
Quem Syrus, & Nabathaeus Arabs, quem Nilus &
   Quemque ſuo Phoenix audiit ore loqui. (Indus,
Nec tua per Scythicas quaerens cunabula ſentes
   Celtica, *Boxborni*, cura perire poteſt.
Inachios prudens Romanis jungere faſtos,
   Et veterum annales continuare novis.
Eloquio populos ſimul imperioque tenere
   Nobilitas didicit, te praeeunte, patrum.
Omnibus at Critica palmam *Gronovius* arte
   Abſtulit, ingenio perſpiciente ſagax.
Cenſor, & Auſonii judex ſermonis honeſtus,
   Cui dederunt paucos ſecla priora pares.

Hunc

Hunc nec Ariſtarchis, vitio quos, France, creatos,
  Itale ſeu jactas, praepoſuiſſe pudor.
Nec voluit, ſollers chartas verſare Pelaſgas,
  Filius acceptum degenerare decus.
Ryckia Cornelî tenebroſa volumina clarans
  Cura, dedit mentis pignora certa bonae.
Ultima Leidenſis, *Perizoni*, gloria Pindi
  Tempore, ſed primis adnumerande viris,
Vertice qui Batavi portaſti pondus Olympi;
  Infregit validum nec tibi pectus onus.
Eruta te tenebris celſae Babylonis origo,
  Et data lux Phariis nobilitavit agris.
Nec patriae curam tua dextra negabat: at illa
  O pudor! externas legit iniqua manus.
Vendere ſimplicibus fumos, & vendere pennas,
  Obſequium blandis fingere ſueta ſonis,
Natio adulatrix, levis & comoeda, Batavo
  Debita candori praemia ſaepe rapit.
Hiſtoricumque timens veracem, turpis avorum
  Ut lateant optat facta nefanda nepos.
Haec ſunt, Leida, tuo fulgentia ſidera coelo,
  Nunc quoque Palladiae lucida ſigna rati:
Nomina purpureo, gratam decet, inſere peplo,
  Ut decorent faſtos longa per aeva tuos.

His

His tua triginta viguit jam gloria luſtris,
  His ducibus laus eſt continuata ſcholae.
O utinam jam non me ſucceſſore labaret,
  Staret & o noſtra res tua firma manu!
O utinam Phoebi renovata caleſceret ara!
  Deſertuſque novo viveret igne focus!
O utinam ſecli redeat florentis imago,
  Patriaque *Heinſiadas Grotiadaſque* daret?
Confectis utinam macie ſenioque Camenis
  Sit juvenile meae reddere robur opis! (res;
Non ſtudium, aut vigiles deerunt tibi, Leida, labo-
  (Quo tamen, ingenio diſtituente, labor?)
Cura quidem ſtimulat cupidum mihi pectus ho-
  Spiritus at ſupera deſit ab arce datus. (noris,
Feſta dies, recolis quae gaudens priſca Lycei
  Lumina, fervorem mentibus adde novum.
Grandia doctores acuant exempla togatos,
  Nomen ut a grata poſteritate ferant.
Aemula ſpem capiat juvenum generoſa caterva,
  Se patriae quondam maxima fulcra fore.
O ita ſumme, velis, Batavae Deus unice tutor
  Gentis, & Aoniae Praeſes amice domus.
Sic iterum, ſic ſaepe bonis optanda recurras,
  Et melior ſemper candidiorque dies.

BATESTEINUM
IN
CONCIONE ACADEMICA CELEBRATUM

Leidae d. xxii. Septembris CIↃ IↃ CCXXXVIII.

DUlce Bateſteinum, longos mihi culta per annos:
  Villa, prius juveni, nunc mage grata ſeni.
Quae mihi ſeceſſus tot, & otia docta dediſti,
  Et vicibus mutas urbis agrique moras.
Cur ego te tacui, viridis dum floruit aetas,
  Et fluerent facili verba ligata pede?
Blanduſiae fontes, & vallis amoena Sabinae,
  Nunc etiam veſtro carmine, Flacce, virent.
Auſonii numeris cantata es, villula, dum te
  Proſpicit e ripis, laeta Garumna, tuis.
Proxima Pauſilypo tibi, Mergillina, manebit,
  Actia dum doctis muſa placebit, honor.
Apta ſuis ſonuit ſtudiis os grande Poloni
  Otia, Bracenni rura nemuſque ſoli:

Sil-

Silvarum latebras, fugiens Hugenius aulam,
Ornavit Batavi carminis arte potens.
Cultaque qui plures celebrarunt praedia vates,
Exemplo poterant me ſtimulare pio.
Nunc quid agam? num fila lyrae projecta retentem,
Et revocem vires, quae periere, ſenex?
Si mihi Phoebeo pectus non flagrat ab oeſtro,
Et careo Muſae fervidioris ope,
Non Helicon mentem, non Pindus inertia tollit,
Non animant Tempe Theſſala, corda ſitu,
Tune aperire potes venas torpore rigentes
Angule, finitimis vix bene note locis?
Poſſe tamen latices de pumice ſurgere ſicco,
Prodigio didici, corde ſtupente, novo.
Nam radios nuper fugienti in margine Rheni
Solis, avellanae dum nucis umbra tegit,
Neſcio, num Fluvius raucam de gurgite vocem
Miſerit, an latitans arbore ſacra Dryas;
Incipe: jam reduces ſpondet, Burmanne, calores,
In nova quae vires carmina, villa, dabit.
Quid dubitas? cecinit ſibi rura fugantia curas,
Et placuit, facili Catzius ore ſenex.
Ockenburgiacas Domini jam cana ſenectus
Delicias, vena luxuriante, dedit.

Quam juvenile melos, quam Weſterbania miſcet
Muſa Cytheriacis dicta ſevera jocis?
Ergo age, deducto repetas ab origine verſu,
Ne lateant carae fata vicesque domus.
Nec mora: non ſolitae creſcunt in pectore flammae,
Et calamo ſumto carmina ſponte fluunt.
Tolle, Bateſteinum, caput, en recidiva reſurget
Fama, vola docti culta per ora chori.
Nec tibi dedecori Burmannia muſa futura eſt,
Nobile at in ſeros ibis, easque, dies.
Jam, fateor, periit ſplendor tibi priſcus honorque,
Nominis & dubii nunc quoque cauſſa latet.
Seu Batavos olim limes diſcreveris agros,
Et poſitus fueris, qui regat arva, lapis.
Et Caninefatum fines hinc iſſe putentur,
Cenſet ut * Altingi pagina docta ſenis.
Sic tua natales Chriſti ſuperaverit aetas,
Urbsque nec ad Rhenum te prior ulla foret.
Ambitioſa vale, vetulis narrandaque curvis
Fabula, quam Batavi finxit honoris amor.
Quot loca non Batavis tribuit gens credula priſcis,
Si modo det ſimiles ſyllaba prima ſonos?

In-

* Vide notit. German. Infer. tom. I. pag. 26. & 113.

Inde Bateſteinum, patrii quod nominis ardor
Condidit aurifero, rura per Afra, ſolo.
Sive Vianaeam tenuit quae nobilis urbem
Gens Zulena ſua nomen ab arce dedit.
Et potius Bato quis turritae conditor arcis
Creditur, aut mulier nomine dicta Bata.
Quale Batenburgum, Batavo de limite diſtans
Longius, auctoris nomen & arcis habet.
Sic tibi, more patrum, lapidis cognomen adhaeſit,
Nobilium ſolidis ſedibus ante frequens.
Quod latere ex cocto domus aedificata niteret
Stramineas inter, vertice celſa, caſas.
Sic caput ante alias arx Zulenſteinia tollit,
Quod proavis poſitum nunc quoque durat opus.
Verius hoc viſum: nam turris in arce Vianae
Alta Bateſteini nomine nota manet.
Dives avis opibusque potens, praetoria late
Per ſibi vicinos Gens ea ſtruxit agros.
Hac de ſtirpe decem gentilia nomina villis
Conjugio partis adpoſuiſſe ferunt.
Nec modo Trajecti partem ditione tenebat
Ampla domus, poſitis arcibus arva tuens;
Sparſit at Hollandos locuples ſua regna per agros,
Et pars praecipuae nobilitatis erat.

Te quoque Zuleni quondam, Nordvicia, juris
Donziadae ſedem, munere dotis, habent.
Sed ſignata ſuis illuſtria nomina faſtis
Verſibus hic non eſt enumerare locus.
Tres tamen, in noſtris quae reſtant finibus, arces,
Teque, Bateſteinum, praeteriiſſe nefas:
Et totidem adſumto claras cognomine ſtirpes,
Ex quibus heu! hodie nulla ſuperſtes agit.
Eminuit mediis aedes Nyveldia campis,
Nobilis herboſo frugiferoque ſolo.
Quae, Bredenrodiae demum poſſeſſio gentis,
Alta tulit dominis dignaque tecta ſuis.
Nunc queritur veterem longe ceſſiſſe decorem,
Fata ruinoſa teſtificante domo.
Altera Zulenae ſtirpis generoſa propago
Hermela, quae patrios amplificavit agros.
Et felix tenuit dotalia rura domumque,
Woerdani generis quae prius aula fuit.
Servat & arce ſua priſcae veſtigia famae,
Juraque dat pago, qui ſibi junctus adeſt.
Tertia, conjugii mox addita dote, potentis
Stirpis inexhauſtas adcumulavit opes,
Haeria: Trajectum, per qua patet omne, clientes
Innumeros ſumma ſub ditione tenens.

In-

Inclyta nobilium ſedes & alumna virorum
  Arx manet, aëriis turribus aſtra petens.
Quarta Bareſteinum, non aequa ſororibus adſtas,
  Hermela ſed nexu te propiore ligat.
Secla fere numeras jam quatuor, ut tibi mater
  Ex multa Dominum juraque prole dedit.
Aemula ſurgebas tectis ſublimibus aedes,
  Cinctaque, quam Rhenus dat tibi purus, aqua.
Ampla domus ſteteras, turbaeque capacior olim,
  Paſcere quam nimiam nobilis aula ſolet.
Turre quoque e celſa ſpectabas arva caſasque
  Longius, at nunc hac mole levata ſedes.
Preſſa fatiſcebant, rima minitante ruinam,
  Tecta, nec in ſumtus ſufficiebat ager.
Merſerat &, conſueta bonis evolvere, gentem
  Luxuries, altas vertere nata domos. (rum,
Turba vorabat heros famulorum, & major equo-
  Nec minor, exſuperans cetera membra, canum.
Altera mox labes: alieno preſſa ſub aere,
  Cauſſidico lites multiplicante, cadit.
Nobile rus ſaeva pendens venale ſub haſta,
  Tranſit in externas, ſtirpe gemente, manus.
Villaque, mox dominum de divite plebe potita,
  Amiſit titulos, ceu caſa facta, ſuos.

Sed

Sed tamen in ſeros poſſeſſio ducta nepotes
Manſit in Ormaeae gentis honora manu.
Luſtra, Bateſteinum, per ter jam dena relictum;
Hinc genus exortum ſervat & ornat idem.
Nunc tua defeſſae requies, Burmanne, ſenectae,
Et ſtudiis ſemper grata latebra tuis.
Sat ſpatioſa tibi, modiciſque paratibus apta,
Dat ſedem dominis, hoſpitibusque locum.
Hic aequaeva tuis ceſſit caſtiſſima votis,
Et ſociata toris uxor amata fuit.
Prima Bateſteinum taedas lucere jugales
Deliciis vidit conſcia villa novis.
Hic per luſtra novem tibi tot ſine litibus actae
Aeſtates, inter dulcia membra domus.
Quae poſtquam rapuit mors importuna, ſuperſtes
Accipit uxori, quae fuit una, ſoror.
Quae genus Ormaeo ducens de ſanguine, villam
Sub titulum domini noluit ire novi.
Ruraque, primaevam quae nutrivere juventam,
Jam ſenior gratos pergit amare focos.
Femineae virgo nugas exoſa cathedrae,
Ipſa manu & nitidos arte polivit agros.
Villa magis tum grata: mihi nam ſola voluptas,
Sed labor & ſumtus cura Sororis erant.

Hac

Hac quoque ſublata, tabulis, Burmanne, ſupremis
 Conjuge cum cara rura relicta tenes.
Inque piam ſobolem transmittere morte propinqua,
 Ordine fata Deus ſi velit ire, voves.
Interea dum vita mihi junctaeque ſuperſit
 Uxori, colet hunc laetus uterque locum.
Utque oneroſa premant nunc vectigalia terram,
 Sumtus & exigui foenera vincat agri.
Deliciis tamen uſque tuis, mitique quiete
 Perfruar, & curis tempus inane teram.
Dummodo me viridi recubare crepidine Rheni
 Fata ſinant, aequo pectore damna feram.
Rhene pater, qui vix tam ſancto nomine dignus,
 Tardior, obſtructo collibus ore, fluis,
Ah! quoties rapido, qualis per Gelrica rura
 Laberis, optavi, plenior amne fores.
Mollibus ah! quoties per ripam fuſus in herbis,
 Vix tenuis, dixi, corporis umbra manes.
Te tamen in gracili veneror, placidiſſime, rivo,
 Multaque, quae praebes, commoda gratus amo.
Non quia tam ſubiti fueris mihi cauſſa furoris;
 Sed quia communi culpa repenſa bono.
Margine non rapto, nulli damnoſe colono,
 Innocuas tacito murmure volvis aquas.

I Nec

Nec metuit, ſolito violentior aggere rupto,
  Accola, ne tecum ſeque laremque feras.
Plena quidem ventis non ſpecto lintea, at alnos,
  Quas equa contento fune puerve trahat;
Vectoresque noto, qui nullo turbine quaſſi,
  Moenia Trajecti, vel tua, Leida, petunt.
Devehis in Batavos früges, quas arva tulerunt,
  Advehis urbanas nave benignus opes.
Deque tua ripa virides digreſſus in agros,
  Proſpicio errantes per mea prata boves.
Nunc Cereris ſtantes retinent turgentis ariſtae,
  Nunc arbor proprio pondere curva trahit.
Haec mea, tam modico contentus fine, pererrans,
  Aut pede mox preſſo regna puſilla tuens,
Non aequare animo tantùm, ſed rebus & actis
  Regnantum videor vincere liber opes.
Non pretioſa brevem turbant viridaria cenſum,
  Nec ſuperat reditus hortus inanis agri:
Nec furor inſanus, carpens patrimonia, florum,
  Aut rutilo fulgens lumine planta capit;
Conſpicuus non fronde frutex, ſed fructibus orbus,
  Rarave ſtirps, quamvis orbe petita novo.
Mille ferens arbor latiſſima vere colores,
  Grata per autumni dat mihi poma dies.

Non

Non operoſa graves exercent arbuta curas,
Aut properata foco munera vitis alo.
Mala nec Heſperidum mea fert ſplendente metallo
Area, nec fruges, India toſta, tuas.
Villicus arte ferox, nec mercenarius arcam,
Quam ſatis exhaurit bibliotheca, premunt.
Saepibus e taxo laetor, claudentibus hortum,
Quas alacer geſtit tranſiluiſſe puer.
Non quibus in coelum ducendis machina tollat
Alta putatores in tabulata novem.
Me pyrus, & malus, me ſuavi candida pruno,
Me nuce, me ceraſis arbor onuſta juvet:
Me ſata per ripas nec inutilis alnus, & ilex,
Fraxinus, & folio, pinus acuta, loquax,
Quaeque dedit primam quercus mortalibus eſcam,
Et domini ſuperet tempora longa, tegant.
Denſa comis ulmus pomaria lata coronet,
Servet & a ventis fertile celſa nemus.
Nec ſalices deſint, horti munimina, nec quae
Malleolos fragiles vimina lenta ligent.
Vivite praecipue, Tiliae, quae ſemper opacae,
Cingitis adſiduo frigore membra domus.
Ruſtica quîs nidum ponat ſecura palumbes,
Et foliis turtur condita, rauca gemat.

Et quarum de flore legant examina ſucum
  Nectareum, bombis gaudia faſſa ſuis.
Haec mihi ſilva ſatis, nec ſumtu oneroſa, manuve
  Artifici in formas ſaepe putanda novas.
Quo mihi plura? vocant nam me rus debita Muſis
  Otia, ne perdam tam breve tempus iners.
Me nemore & culto muſeum gratius horto
  Detinet, & tacito bibliotheca loco.
Hic libet ante ortum, de ſtratis corpore rapto,
  Solis, & incerta luce tenere librum.
Nec matutinis operantem vota lucernis
  Concipere ad numen, ſole morante, piget.
Quam juvat ante diem radios jam ſpargere lumen,
  Sideraque ut capiant victa, videre, fugam.
Cedere paullatim minuenda crepuſcula, purus
  Dum rubeat pleno ſolis ab orbe dies.
Hic labor ad mediam Phoebi producitur horam,
  Et citius voto pars bona lucis abit.
Dimidius ſed rure dies, quam totus in urbe,
  Neſcio quid cumulat plus meliusque boni.
Hic ſolidum, nullo me interpellante moleſto,
  Tempus ad arbitrium labitur omne meum.
Nunc divina tenent, ſtudiis contermina noſtris.
  Et ſacra quid diſco ſcripta profana juvent.

Nunc

Nunc acuunt linguam divini Tullius oris,
  Lacteus aut Livî ſimplicitatis amor;
Eloquii, Venerisque Terentius auctor honeſtae,
  Aut caveae, Plauti, qui placuere, ſales.
Tractatos decies verſat nova cura Poëtas,
  Muſaque me veterum ſaepe relecta tenet.
Nunc Maro ſublimi, nunc laeto carmine Naſo,
  Nunc rapit attonitum me Venuſina chelys.
Mox ciet hiſtorici bilem Pharſalia vatis,
  Et tumido ſemper Statius ore tonans.
Aut tua nugacis paraſitica carmina, Roma,
  Quem tibi mendicum Bilbilis alta dedit.
Protinus his jactis, ira ſurgente, Poëtis,
  Jam medium video laetus abiſſe diem.
Prandia jam famulus mihi nuntiat eſſe parata,
  Et jubet ad ſocias uxor adeſſe dapes.
Quae leviter querulo, blando tamen ore ſonoque,
  Vix ſemel hac viſum me ſibi luce dolet.
Menſa duos anguſta capit, quae ſimplice victu,
  Statque onerata bonis, quae dat alumnus ager.
India non puras corrumpit aromate lances,
  Fortibus & ſucis nuda patella caret.
Non ſale, non cepa mihi jus conditur, abeſtque,
  Inſolito mordens labra calore, piper.

Non color & pinguis nidor craſſiſſimus aurae,
  Nec trahit intriti, qui datur arte, ſapor.
Non opus eſt blando vires revocare veneno,
  Viſcera vel validis laſſa fovere cibis.
Quam ſapit herboſum viridanti jure moretum,
  Quo levis anguillae fruſta minuta natant?
Aut olera, ingenio non transformata coquentis,
  Sed dedit ut magnis Baucis amica Deis.
Laudibus in coelum priſco celebrata Catoni,
  Saepe facit menſae braſſica torta caput.
Ruſtica, vel pendens fixis faba longa tigillis,
  Et caro quae primam vincat ovilla famem.
Pernave, vel ſplendens, quod dant carnaria, lardum,
  Vel bovis a fumo mite nigrumque latus:
Vel vitulae, matris lactantis ab ubere raptae,
  Coſta, vel abſciſum corpore pingue caput.
Pulte ſaginata, & nigris incluſa cavernis,
  Non datur, aut nimii pondere ventris avis.
Non amo, quam laudant, quia lardum pingue colorem
  Tabe parem dedit, & texit ab igne coquus.
Mixta cohortali gallina ſub arbore paſcens,
  Plenaque triticeis frugibus, Afra ſapit.
Toſtaque, quae leviter ſenſiſſe fatebitur ignem,
  More patrum blando picta rubore cutis.

Me vaga per ſegetes capit eſcam ſedula quaerens,
  Et ſpoliis revolans laeta columba domum:
Gutture quae pleno pullos mihi farcit hiantes,
  Quos necet implumes nil miſerata manus.
Hos natura cibos animantibus alma miniſtrat,
  Et replet proprii carne ſaporis aves.
Piſcibus & locus eſt, tenui quos Rhenus in alveo
  Nutrit, & e ſtagnis retia texta trahunt.
Quoſve morae patiens, hamo latitante ſub eſca,
  Decipit, & latebris elicit arte cavis.
At pecus aequoreum dic, cur tam, Leida, maligne,
  Nec pretio nobis mittis, ut ante, levi?
Has mihi prima dapes dant fercula, quaeque ſuperſunt
  Turba miniſtrantum non numeroſa vorat.
Nata domi poſthaec bellaria parca feruntur,
  Ne faciant lentae taedia longa morae.
Ponitur aut ceraſum, fructu mihi dulcius omni,
  Cujus & abſumti copia nulla nocet.
Hinc quoque ſana linunt avidos jentacula dentes,
  Si modo mane ferat plena caniſtra puer.
Fragave, quae gemina recreant nos dote, ſaporem
  Eximium mirus nam comitatur odor.
Aut pyra, quae dulci ducunt ab arundine nomen,
  Putrida vel ſubito, ceu muliebre genus.

Vel

Vel cute ſub viridi, vinoſi plena liquoris,
  Labraque mordentis quae faciemque lavant.
Mora, manu ſed lecta mea, vel cerea pruna,
  Arbore quae, ramos me quatiente, cadunt.
Perſica, ſi medio veniunt matura ſub aeſtu,
  Mala, ſitim ſuco frigidiore levant.
Armenia aut nobis quondam quae munera miſit,
  Breda ſed uberior quae meliora dedit.
Nux quoque, nec juglans, nec quam debemus Abellae
  Nec, maturuerit ſi tamen, uva deeſt.
O mihi, quot ſuaves anguſta vacatio fructus
  Invidet, & terrae dulcia dona negat?
Quot video cupide nondum matura recedens
  Poma, ſed autumni quae mora lenta coquet?
Caſeus, &, patriae laus unica, prandia condit
  Lactis in exiguum maſſa coacta globum.
Hic modus, haec lex eſt, & ſi quis venerit hoſpes
  Grandior, haud cinget lautior olla focum.
Vivite Lurcones, per multos ducite miſſus
  Mutatis epulas terque quaterque cibis.
Vivite, luxuria Batavas qui mergitis urbes,
  Perque gulam patrias dilapidatis opes.
Quîs perit ad menſam pulchrae pars altera lucis,
  Et tenet ut vinctos uncta patella diu.

Vos

Vos vocat ad coenis paene exaequata Quiritum
  Prandia, nondum avidos hora ſecunda cibi:
Semper ego eſuriens, alto jam ſole tumultum
  Nec ſtomachi poſſum, nec tolerare moram.
Vos ſatiare poteſt odor & guſtatio juris,
  Nec tamen hinc vacui nauſea ventris abit:
Quae prohibet menſae cupidos ſperare ſequentis
  Fercula; faſtidit nam gula laſſa cibos.
Aut oleris minima repleti parte ſedetis,
  Quodque olitor guſtans eſſe negaret olus.
Et tamen ad pompam variae ſpectacula carnis
  Ars ponit ſaturis prodigioſa coqui:
Sed ſtomachi languor, vitiataque viſcera luxu
  Tangere vel digito tot pretioſa vetant.
Integra, vel parce dominis guſtata, culinae
  Reddit herus, famulo dilanianda gregi.
Ne tamen interea pereat nil tempus agendo,
  Voce gravi pueros ponere vina jubet;
Sed minimo, ut menſam producat longius, hauſtu,
  Aut aura potius tinguere labra meri.
Ordine mox libat propioris quisque ſaluti,
  Nec, niſi qui claudit, dat bona verba, latus,
Hic ſibi ſit vivax uxor, ſic credere fas eſt,
  Vix cyathi fundum rore tegente, vovet.

Ut pateat, coelebs optat, ſibi dulcis amica,
Seu ſatis una virum, ſeu vaga turba, tenet.
Filius hic vivat ſibi, nata, nepoſque precatur,
Sed tacite, proles ne numeroſa premat.
Dum ſeriem hanc ducunt per inania pocula triſtem,
Magna ſupercilio rugaque fronte ſedet.
Publicus haud rumpit taciturna ſilentia ſermo,
Nec niſi vicina murmur in aure ſonat.
Socratis haec, dicas, aut vera Platonis imago eſt
Sympoſii, quod tam ſobria turba refert.
Ordinis aut ſimulans primordia muta togati,
Annua quum renovat prandia ſicca dies.
Sed creſcente ſiti vacua inter pocula, parvos
Infantum cyathos vinaque mutat herus.
Livida jam ſatis, heus, egerunt Francica partes
Aut quae puniceo tincta colore rubent?
Dulcis adulterio, vel rubro infecta nocenti,
Mollia vel ſtringunt labra, vel uncta ligant.
Quae Rhenus ſincera vehit jam promere tempus,
Aut tua quae felix ripa, Moſella, tulit.
Laetior hinc facies, & quae vix ante miniſter
Murmura, vicinus jam capit aure ſonos;
Nam dum fuſa ſcyphis conviva capacibus haurit,
Huic domui lautae ſit bene, clamat, Iö.

Hinc

Hinc bene ſit Patriae, bene frena regentibus Urbis,
Civibus & qui dant publica jura bonis.
Floreat & duret Libertas, Paxque perennet,
A famulo maneant libera colla jugo.
Vos quoque, ſi quis adeſt non dura fronte togatus,
Vivite Piërides, vivite docta cohors.
Surgite lapſa diu Batavae commercia terrae,
Velaque conſternant, qua patet, omne fretum:
Qui pelago terraque meret, bene rem gerat; addat
Vim ducibus Numen, militibusque fidem:
Hic ſibi mendici felix contingere votum,
Ut loculis, optat, vivat utrisque gravis.
Hic lateri emerito veneris renovanda malignae
Gaudia, ſed validus corpore longa rogat:
Denique nominibus tot pocla licentia ſignant,
Ut careant numero multiplicata ſuo.
Membra tamen glaciata manent, en tange, rigentque,
Hoſpes ait, linguae jam quoque ſenſus hebet.
Hoc vacuas implet venas, penetrare meatus
Sanguinis extremos frigore ſegne nequit.
Ignis abeſt fatuo, procul hinc, procul abripe, vino,
Fortia, deque nota da meliore, puer.
Da mihi Burgundus, vel quod producit Hiberus,
Aut Itali quod dat vitis odora ſoli.

Quodque ſubalpinis miſſum de collibus ardet,
  Et celebre a toſto Martyre nomen habet.
Da mihi, fumanti quod fert Campania nube,
  Quod ſaliens vitreo margine nare traham.
Veraque tam doctis Tockaïa prome palatis;
  Servat in arcano quae mea cella cado.
Ordine dum bibit haec cubito ſubnixa caterva,
  Ingenium & guſtum garrula laudat heri.
Sed valida exhaurit dum plenis vina culullis,
  Viſceraque ardenti ſentit ab igne coqui;
Sit modus o cyathis ſine fine volantibus, inquit,
  Et caput & fervent flammea membra mero.
Jamque cibo vacuus, ſed viſcera plenus Iäccho,
  Quiſque abitum tacitus, ſole cadente, parat.
Sed calices inferre novos ſurgentibus ardet
  Hoſpes, & ut maneant ſupplice voce rogat:
Si tamen eſt cunctis ſententia certa receſſus,
  Meque domi ſolum deſtituiſſe ſedet:
Circulus in medio conclavi fiat, in orbem,
  Extremumque bibant ordine quiſque, Vale.
Tangat amicitiae, digitis in margine fixis,
  Hunc, ſine quo ſcelus eſt ſemper abire, ſcyphum.
Africa, qua longa procurrit in aequora lingua,
  Cui bona ſpes fauſtum nomen habere dedit,

Hoc

Hoc mihi largitur generoſo palmite natum,
  Nectare coeleſti ſuavius, ecce, merum:
Ebibit, & verſo penitus cratere triumphans,
  Ungue ſuper ſicco nil ſupereſſe probat.
Conſonat, o vivat ſanctae concordia menſae!
  Ad fundum vacuans ſtrenua turba cadum.
Hoſpite jam muto, clamat vinoſior alter,
  Ultimus o ſupereſt, pectora fida, calix.
Proxima lux veniat, percuſſum ſanguine Bacchi
  Foedus amicitiae quae renovare velit.
Hoc quoque ſiccato, ſociis fugientibus, hoſpes
  Projicit in ſtratum ſaucia membra torum.
Cetera turba, petens gradibus titubantibus aedem,
  Tam bene compoſitum gaudet abiſſe diem.
At vos damnoſae fatalia gaudia menſae,
  Cauſſaque tot ſcelerum, luxus, abite procul.
Ite dapes, quarum Batavus vix nomina dicat,
  Fercula nec patribus nota, valete, piis.
Tot quoque ſupremae puerilia ludicra menſae,
  Structaque turritae dulcia lancis onus.
Quae conducta, oculos ut paſcant ordine longo,
  Jam decies aliis pompa fuere toris.
Tangere quae vino ſtomachus faſtidit inundans,
  Ne vomat ingeſtum nauſea facta merum.

Sobria me, menſis & agreſtibus aemula paſcat,
 Pura, nec externis lanx vitiata cibis.
Vos quoque pernicies, ſanoque in corpore peſtes,
 Vina ſub ardenti cocta valete polo.
Unica me recreet vitis divina Moſellae,
 Quaeque ſalutifero membra liquore riget.
Hic ſapit, hic arcet medicanti rore podagram,
 Calculus hoc poto rene fugatus abit.
Hinc mihi nulla lues, capitis fervorque dolorve
 Nullus; nec dubius pes, neque dextra tremens.
Poſt ſeptem decies hinc ſenſus & integer annos,
 Et ſtudiis robur ſufficiensque ſeni.
Hos mihi non cyathis latices ſorbere minutis,
 Ut pueris poni virginibusque ſolent;
Labra nec exigua mos eſt adſpargere gutta,
 Viſcera ſed ſano proluere ima mero.
Tres tamen ad ſummas vel pleni quatuor oras
 Sufficiunt ſtomacho laetitiaeque ſcyphi.
Urbe ſuperveniat vel ſi ſitientior hoſpes,
 Lege modum ſpreta nil duplicaſſe nocet.
Auree ſol, poſt tot, precor, aſperiora, benigne
 Da plenis lacubus lenia muſta fluant;
Quae niſi tu properas pretio meliore, Poëtis
 Ingenium annoſis ariditate cadet.

Hora

Hora cibo vinoque ſatis, tamen integra raro,
Ne pereat vitae pars mihi magna brevis.
Et quantum ſatis eſt, dapibusque meroque refectum,
Aëre delectat liberiore frui.
Paſſibus & lentis ſpatior dum tectus ab umbra,
Praeterit haec ſenſim deſidioſa quies.
Nec ſtudiis pleno mos ventre vacare ſeveris,
Nec ſolidum ſomno frangere cura diem.
Nil ago, vel placidi reſidens in margine Rheni,
Quam cito res hominum, quam ruat hora, puto.
Nec modo quam diros ſternat de culmine reges,
Sed quoque privatas ſors populetur opes.
At male Socraticae preſſerunt pectora curae,
Pondere dum rerum ſub graviore labant.
Dumque ſubit menti, quantus tu, Rhene, fuiſti,
Rus tenui noſtrum qui modo lambis aqua.
Jamque tenet nullus Zuleni ſanguinis haeres
Haec proavis quondam jugera culta ſuis.
Quam paucos aetate pares nunc Hermela nutrit,
Quos juvenis vidi flore virente viros.
Quot mihi mors notos, patria quot in urbe ſodales
Abſtulit, ut reſtent vix duo tresve mihi.
Dum quae villa fuit, dum quam mutata recordor,
Mente mea miro philoſophante modo;

Hoc mihi, quae recito, turbarunt tempore ſenſum,
  Hoc deſueta mihi carmina nata loco.
Hic quoque, nam memini, vigilans quae verſibus olim
  Somnia narravi civibus, orta, meis.
Seu vitiant occulta ſoli contagia, Daemon
  Seu medio vexat pectora ſana die.
Pieridum ſeu numen ineſt, iraque Dearum
  Cogor in oblitos verba ligare modos:
At bene, quum Sophiae ſtudium grave ſaepe cerebro
  Imprimat inſanas, & ſine fine, notas;
Quod ſubiti morbi delerit ſigna Poëſis,
  Et gravis haec rabies pulſa furore brevi:
Qui quoque ne redeat, cautus, ſtatione relicta,
  Effugiam poſthac inſidioſa loca.
Te neque Philoſophus, neque, Rhene, Poëta reviſam,
  Pondere ſed liber tempus utroque teram.
Pigrior Eois rediens quam Flamen ab Indis,
  Mente nihil meditans interiora petam.
Vanaque ne mendax mihi ſomnus viſa reducat,
  Adripiet minima dextera mole librum.
Segnis ephemeridas, doctorum aut acta virorum,
  Lumine ſed tantum praetereunte, legam.
Aut quae ſcripta manu compilas, Belga, ſiniſtra,
  Quae tibi mendicus bibliopola locat;

Aut

Aut quos illepide fundis, Germane, libellos
  Inſpiciam, aut nugas, Francia laeta, tuas.
Fabula nunc riſu quatiet Molieria corpus,
  Scriptaque Scarronis comica, plena jocis.
Aut iter externas ſcribens ſumetur in oras,
  Et dubia narrans non ſibi viſa fide.
Aut quicumque mali dicetur carminis auctor,
  Hiſtoriaeve hilaris, quam meminiſſe piget.
Omnia quae vigiles poſſunt producere ſoles,
  Quaeque oculis ſomnum, bile vetante, fugant.
Sed prono jam ſole dies, & quarta laborum
  Admonet, & revocant penſa relicta domum.
Hinc levis, & cocto qui me cibus ante gravabat,
  Impiger ad Muſas & mea caſtra volo.
Sed ſtudium haud ultra nunc tres producitur horas,
  Et pedibus fulto non datur ulla quies.
Saepe peto curſu librum, curſuque repono,
  Inſiliens gradibus, quo ſtetit ante loco.
Septima me rurſum ſpatiis immittit amoenis,
  Grataque defeſſum frigoris aura levat.
Solque novo ut ſurgens hilaravit lumine mentem,
  Sic ſequor adſpectu deficientis iter.
Obtuſumque oculis non caligantibus orbem
  Cernere dat puro veſpere ſumma dies:

Sed neque blanda minus jam prima crepuſcula noctis,
  Aſtraque languenti lumine mota juvant.
Prata per & campos nunc ire liberet apertos,
  Fumanti madidus nube ſed arcèt ager.
Et puer octavam dudum poſt terga relictam,
  Et ſolitum coenae tempus adeſſe, monet.
Haec brevis, & poſitis ſplendens hortenſibus herbis
  Ridèt, & haud emtae ſimplicitate dapis.
Non verſata veru mihi merx opulenta macelli
  Ponitur, aut pruna viſcera toſta levi.
Aſparagus niveo qui vertice ſurgit, aquoſo
  Dum careat ſuco, caule tenente modum.
Dulce ſiſer, crocei vel portulaca coloris,
  Aut raphanus, cinarae ſpiniferumque caput.
Aut lactuca recens, quae ſparſa ſalubribus herbis
  Ejicit e facili pergrave ventris onus.
Et cucumis, triſti veterum damnata medentum
  Judicio, nobis frigore grata ſuo.
Intyba ſanguineae radici juncta, palatum
  Pungere quae fibris ſemper amara ſolent.
Herbave, quae guſtu ſimilis mordacis aceti,
  Mollior at betae mixta, ſapore placet.
Piſave, quae varii generis fert hortus, & acri,
  Sana tamen, guſtu non cichorea deeſt.

Addi-

Additur his menſae reſtans ſemeſa prioris
Si caro, regales ſera dat hora dapes.
Par quoque, vel paullum major menſura bibendi
Sumitur, ut venias mitis & alta quies.
Somne, quies operum, numquam mihi numen amicum,
O utinam velles largior eſſe ſeni.
Temporis o aliquid curis mihi deme diurnis,
Nocturnaeque volens longius adde morae.
Deque ſoporifero vigilantia lumina cornu,
Ne pateant media nocte, rigare velis.
Qui premis ad menſam, mox membra cubantis in horas
Sex, precor, aut ſeptem vincta ſopore liga.
Vota pigri non ſunt: ſed quo mihi vota precesque?
Pinguior haud umquam pectora noſtra premes.
Sic tranſit mihi rure dies, ſic volvitur aeſtas,
Et citius votis effluit acta meis.
O tunicata quies, propriis quid pellis ab arvis,
Cogis & inviſae reddere membra togae?
Longior o utinam ſtudiisve vacatio detur,
Aut jubeas Titan tardius ire diem.
O mihi, ſi cauti Labeonis more liceret
Dividere in partes tempus & acta duas.
Anni dimidium me ruris amoena tenerent,
Diſcipuli caperent dimidiumque ſcholae.

Sed quoniam hoc nobis fortuna maligna negavit,
  Meque catenatus claudit in urbe labor;
Publica deliciis praeferre negotia privis,
  Et res, & ratio, religioque jubent.
Corpore dum valeo, dum mens mihi commoda curae,
  Muneris & capiant taedia nulla gravis;
Hermela, vix anni ſexta me parte videbis,
  Et niſi quum leges duraque jura ſinunt.
Numen at exhauſto ſi votis longius aevum,
  Et marcere ſitu corpora ſicca dabit;
Tu velut in nido frigentia membra fovebis,
  Ultima decrepito villa domusque ſeni.
Si mihi & uxori Deus addit quatuor annos,
  Corpore & in firmo mens mihi firma manet:
Tum poſt luſtra decem renovanda jugalia ſacra
  Haec eadem referet, qua prius acta, domus.
Quique torus primum ferventia pectora junxit,
  Frigore contractos cernet inire ſenes.
Numinis & noſtrae niſi ſit diverſa voluntas,
  Et velit haud alia nos regione mori;
Hic mihi vel conjux claudet longaeva, vel ejus
  Lumina, ſi praeeat, dextera noſtra premet.
Et quae conjugii vidiſti ſurgere taedas,
  Funereas tolles, Hermela moeſta, faces.

Et

Et cineres Petri, cineres ſervabis & Evae,
 Mixtaque tu tellus non gravis oſſa teges.
Et breve in exiguo ſignatum marmore carmen
 Pauca viatori verba legenda dabit;

HIC SITUS EST etc.
ILICET.

LAUS POËTICES

[library stamp]

HUc ades, o noſtris, ades, o divina Poëſis,
  Cantibus, & faciles ad mea vota Deae.
Adſpirate meis, felicia Numina, caeptis,
  Et regite ambiguam, ſidera certa, ratem.
Et Tu, Phoebe pater, facundi carminis auctor,
  Accedas ſacris, rite vocate, tuis.
Phoebus adeſt, ſentitque Deas mens icta faventes,
  Et cupit in laudes, ut decet, ire pias.
Prima feros aetas, hominesque aſpexit agreſtes,
  Et tenuit durum ſquallida rura genus.
Horrida gens paſſim, ſolis errabat in agris,
  Praebebant ſilvae luſtraque furva domos.
Jus ſibi quisque dabat, nullo ſub vindice mundus,
  Nec lex afflictis ulla ferebat opem.
Turpe latrocinium totum pervaſerat orbem,
  Et titulos, & jus omne, rapina dabat.
Fortior imbellem poſſeſſis pellit ab arvis,
  Hic quoque finitimo ſub meliore cadit.

De-

Demetit hic ſegetes, hic, quod non ſeverat, aufert,
  Depoſitique ſui foenore fraudat herum.
Nil niſi bella valent, armis ferroque geruntur
  Omnia, & indomitus Mars ſibi cuncta rapit.
Non blandae voces, non hoſtem verba morantur
  Lenia, ſed cunctis durus in ore ſonus.
Ars nulla eloquii, nullas facundia leges,
  Noverat, & linguae gratia nulla fuit.
Primus, Apollineo cretus de ſanguine, vates
  Dicitur incultum detinuiſſe genus.
Saxa feraſque novis qui duxit cantibus, Orpheus
  Eloquio gentes mulſit & arte feras.
Ipſe Pater Nato, queis pectora dura moveret,
  Carmina dictavit blanda, Lyramque dedit.
Hunc ſaepe in coelum, terris vexiſſe relictis
  Creditur; huic menſas conciliaſſe Deûm.
Ut Superûm voces, divinaque verba notaret,
  Et memori grandes conderet aure modos.
Nectare divinum Genitor paviſſe Poëtam
  Fertur, & ambroſias ſaepe dediſſe dapes.
Pocula Caſtaliae, puraeque Aganippidos undae
  Saepe dedit nato Calliopea ſuo.
Ad genus hinc hominum fluxerunt carmina, & omnis
  Coeleſti dono terra beata fuit.

Aſſulſi

Aſſulſit melior facies, per carmina, rebus,
  Et ſolito vultus blandior orbis erat.
Jam rigidae coëunt in mutua foedera gentes,
  Candida pax firmâ pectora lege ligat.
Jam pietas, jam ſanctus amor, ſine crimine mores,
  Simplicitas, Superis tunc quoque grata, venit.
Carmina tunc homines Superos docuere vereri,
  Et ſacra, & ritus, & docuere preces.
Carmine Coelicolûm placantur numina, caeſa
  Victima, per numeros, & pia tura placent.
Oppida tunc primum caeperunt cingere foſſis,
  Praeſtitit & tutos murus ab hoſte lares.
Carmina tunc Populis aequalia jura dederunt,
  Judicia & leges prima Thalia tulit.
Finitimum nullus metuit, jam terminus arva
  Diſtinet, & proprium quisque tuetur agrum.
Quod curvo toties tellus renovatur aratro,
  Quod tenerum rumpit ſeminis herba ſolum.
Mollis in apricis quod turget collibus uva,
  Quod curvata ſuum vix gerit arbor onus.
Omnia quod florent, quod foeta eſt meſſibus aeſtas;
  Munere mortales carminis omne ferunt.
Quod tener herboſo vitulus laſcivit in arvo,
  Quod ſalit in pratis luxuriatque pecus.

Lilia

Lilia quod violis albentia miſta leguntur,
Quod Zephyri flores aura benigna fovet;
Omnia carminibus debentur, & omnia Muſis,
Commoda quae populos haec docuere rudes.
Per mare diverſis merces quod portat ab Indis
Navita, & alterius comparat orbis opes,
Muſa facit: dedit haec fulvum mortalibus aurum,
Splendet & argentum munere, Diva, tuo.
Tu quoque jucundae, tu cauſſa, Poëtica, flammae,
Per te legitimo foemina juncta viro eſt.
Dura puellarum demulſit pectora carmen,
Muſa dedit caſto mollia jura toro.
Corpora creduntur primum ſociaſſe Puellae
Vatibus, & doctis ſuccubuiſſe modis.
Saepe, legens propriae virgo praeconia formae,
Concidit, & merces carminis ipſa fuit.
Verſibus, infelix heu ante! receptus amator
Acceptum, Dominae ſe placuiſſe, refert.
Eſt quoque carminibus totum celebrata per orbem
Gloria, & aeternum dat pia Muſa decus.
Divinos prohibet leto ſuccumbere vates;
Sed vitam Clariis dat, ſine fine, viris.
Et cum tempus edax Reges, Regumque triumphos
Abſtulerit, ſpernunt carmina ſola rogos.

M Vivit

Vivit Maeonides, periit Neptunia Troja,
  Et cinis innumeras obtegit urbis opes.
Maxima jam cecidit Romana potentia, Magni
  Nunc quoque Virgilii nobile reſtat Epos.
Exul ob injuſtam, ſcelus heu! qui Caeſaris iram,
  Pertulit ad ſaevos verba Latina Getas,
Vivet, amatorem dum blanda puella tenebit,
  Dumque amor in terris, Naſo legetur, erit.
Splendor, honos, & opum furioſa cupido, valete,
  Non apta eſt animo gratia veſtra meo.
Me mea ſuſtineat, nullo turbante, Poëſis,
  Ad noſtras veniat Muſa, benigna, preces.
Me mea tranquillae traducant carmina vitae,
  Otiaque aetatem dulcia ſemper alant.
Quae juvenem tenuit, teneat quoque Muſa ſenectam,
  Haec mihi ſi vitae tempora fata dabunt,
Cumque meos cineres obſcura incluſerit urna,
  Pars ego Piërii ſim, precor, una chori.

Ex Orat. Inaug. pro Eloq.
et Poët. habita Ultraj.
an. MDCXCVI.

PRISCI

[stamp]

PRISCI TEMPORIS INERTIA COMMODA

Ex Oratione pro Pigritia habita Ultraj. A°. MDCCII.

TUnc ſine ſollicitis ducebat mitia curis
Otia, & immunis terra laboris erat.
Nullus, ut extremi ſibi munera conderet orbis,
Inſanas fragili puppe ſecabat aquas.
Sed propriis contenta bonis gens priſca, paterni
Laudabat faciles incola ruris opes.
Nullus, ut immenſae complerent horrea meſſes,
Findebat rigidam vomere curvus humum.
Terra ſinum pandens, non exercente colono,
Sponte ſua fruges officioſa dabat.
Nemo feras laqueis deprendere, nemo ſagittis
Fulmineos longe figere doctus apros.
Qui coetus hominum, poſita feritate, colentes
Praeſtabant, nullo percutiente, dapes.
Non labor antiquis agitare in retia cervos,
Non ſtudium lepores per juga longa ſequi.
Quam coquus e luſtris ad ſibila prima vocabat,
Praebebat manibus ſe bona praeda capi.

Non laqueo volucres, non quiſquam fallere viſco,
  Mille nec in fraudes ingenioſus erat.
Sed genus alituum, praeceps ex aethere lapſum,
  Fercula, non ullo capta labore, dabat.
Retia non piſces, non linea caeca trahebat,
  Sponte genus mutum proſiliebat aquis.
Non pede calcatis ſordebant dolia muſtis,
  Nullus ab externis vina petebat agris.
Flumina nectareos volvebant omnia ſuccos,
  Explebat minimam quaelibet unda ſitim.
Aurea non rutilum celabant pocla venenum,
  Captabant manibus flumina pura cavis.
Non labor arboreos ſtudioſe educere foetus,
  Aut docta ramos ſubſecuiſſe manu.
Arbore ab aëria, nullo quatiente, fluebant
  Poma, reportabat quae ſibi quiſque ſinu.
Nulla fatigabant fabriles arma lacertos,
  In media ferrum triſte latebat humo.
Non operoſa manu ſurgebant culmina, nulla
  Tangebat turris ſidera, montis opus.
Obvia per ſilvas facilis natura pararat
  Antra, dabant tutos quae nemoroſa lares.
Non thalamus molli ſtrato ſuadere ſoporem
  Noverat, unus erat ceſpitis herba torus.

De-

Denique, quae vitae pars jucundiſſima, ſemper
Haerebat ſocio ſuavis amica viro.
Nec labor incluſas erat excantare puellas,
Aut ſtrepere ad ſurdas carmen inane fores.
Non fera, non cuſtos cupidos removebat amantes,
Errabat paſſim foemina mixta viris.
Nemo puellarum norat traducere faſtum,
Saeva nec ad dominam jurgia ferre levem.
Omnia blanditiis reſonabant antra, nemusque
Murmura reddebat per cava ſaxa loquax.
Sic bona per totum regnabant otia mundum,
Et procul a pigro ceſſerat orbe labor.
Nil tamen ignavo deerat: nam divite cornu
Fundebat ſegetes Copia larga novas.
Una colebatur languens Ignavia numen,
Longaque, erant cunctis maxima vota, Quies.

AD SOMNUM

Somne Deûm princeps, mitiſſime Somne Deorum.
Lenis ades precibus, noctis amice, meis
Quando ego poſthabitis, quae mordent corpora, curis,
Te capiam toto pectore, blande Sopor.
Quando ego clamoſis, quae me ſine fine fatigant,
Explicitus turbis, antra quieta colam.
Quando ego jucundae tenebroſa cubilia noctis,
Et potero tacitos tutus inire lares.
Jam mihi, qui ſervat tua cuſtos atria, Languor
Pandat ad umbroſae limina ſedis iter.
Huic comes accedat genetrix Ignavia ſomni,
Et tua me capiat Torpor, amata ſoror.
Protinus excipiat lapſantia pectora lectus
Plumeus, & membris florea ſtrata premam.
In quae me molli deducat Inertia tractu,
Et poſito claudat lumina muta Quies.
Eximat ex animo triſtes Oblivio curas,
Occupet & totum me tua, Dive, cohors.
Tu modo ne parcas fuſum diſſolvere corpus;
Membraque Lethaeo ſpargere rore velis.

Nec

Nec brevis, at fratris venias ſub imagine Leti,
Et ſpatio creſcas dulcis & alta Quies.
Longa quieſcendi veniant ô tempora; nocti
Et liceat parvae continuare diem.
O utinam veſtros imitari, Latmie, ſomnos,
Detur, & aeterno poſſe ſopore frui.
Sed bona ne perdant inſanae gaudia turbae
Fac taceat, cingit quod tua templa, nemus.
Non volucris rumpat querulo ſtridore quietem,
Nulla per arboreas ſibilet aura comas.
Non tuba, non lituus tranquillas perſonet aedes,
Non odioſa canat carmina Martis avis.
Et ſtrepitu careant, quem reddunt cardine, poſtes,
Nec crepitet vento mota feneſtra levi.
Omnia conticeant, & blanda ſilentia Noctis
In vacuis regnent ſola diuque locis.
Unica difficilem (ſed ſint procul omina) Somnum
Murmura concilient lene fluentis aquae.
Haec quoque, quam primum mihi demittuntur ocelli,
Numine conſiſtant, optime Somne, tuo.
Hei mihi! quam ſubito laxantur lumina, cogor
Solis & inviſum cernere mane jubar.
Quid facis, ô Titan! nondum ceſſere tenebrae,
Nec radios Horae, nec tua juſſa ferunt.

Quid

Quid juga, ab heſterno nondum recreata labore,
  Tam matutinum carpere cogis iter?
Temporius ſolito ſurgis, ſpatioque peracto
  Lentius, invitus coerula nocte ſubis.
An quia te canae faſtidia Tethyos urgent,
  Nec rapidos ortus frigida tardat anus.
Me, quem nupta ſuis retinet formoſa lacertis,
  Dilectum cogis linquere, dure, torum.
Nec gratus pueris, nec gratus, Phoebe, puellis,
  Sed mihi prae reliquis, Sol odioſe, venis.
Non tamen excuties torpentia corpora lecto,
  Nil agis, ô noctis, non tua turba ſumus.
Noctis opus noſtrum eſt, toto licet orbe reſurgas,
  Excludam radios, dum licet usque, tuos.
Tu modo cultorem Somni, placidiſſime Morpheu,
  Participem longi muneris eſſe velis.
Et mea, ne verſet totas inſomnia noctes
  Membra, miniſteriis effice, blande, tuis.

PETRI BURMANNI
POËMATUM
LIBER SECUNDUS
Qui Complectitur Epithalamia.

IN NUPTIAS
VIRI CLARISSIMI
CORNELII ECKII,
ET
CATHARINAE WITTIAE,
CELEBRATAS Anno MDCXCVI.

NUper ab Idalio, comitata Cupidine, terras
  Flexerat ad Batavas Mater Amoris iter.
Ut quid agant Juvenes,quid agant ſua turba puellae,
  Sollicita indicio diſceret ipſa ſuo.

Et vacuos juvenes videt, & ceſſare puellas,
  Ceſſerat e tepidis cordibus omnis amor.
Vidit &Eckiadem ſtudia exercere Minervae,
  Et Themidi doctas conſociare Deas.
Aut modo nodoſas ſolerter ſolvere leges,
  Otia vel Latiis fallere docta modis.
Indignata Dea eſt, rupitque hanc pectore vocem,
  Et querulo tales edidit ore ſonos.
Nate, vides noſtrum, pudet heu! ſine vindice numen,
  Raraque maternis tura cremata focis.
Nec modo plebs noſtras humilis jam praeterit aras,
  Turbaque nos populo deſpicienda ſumus.
Ipſi etiam imperio ſubducunt colla Poëtae,
  Qui fuerant regni pars bene magna mei.
Quid juvat ingenium; quid mitia corda dediſſe,
  Nec placidis mores Vatibus eſſe feros?
Si ſine amore jacent, & deſidioſa virorum
  Corpora, Me ſpreta, lectus & umbra fovent.
Debita ſi regno ſibi vindicat altera noſtro,
  Praeripit & praedas docta Minerva meas.
Saepe Deae, taedis inimicae, haec jurgia feci;
  Injicis injuſtas in mea jura manus.
Si tua ſunt, Virgo, ſunt & mea cura Poëtae,
  Turbaque me Vates officioſa colunt.

Sunt

Sunt mihi cum doctis, ſunt & commercia Muſis,
Junctaque Virgineo ſunt mea ſacra choro.
Reſpice tot Vates, nemo mea ſigna reliquit,
Et vacuus noſtro nullus ab igne fuit.
Muſa parat noſtris lentiſſima pectora flammis,
Mollia purpureus carmina dictat Amor.
Primus ad iratae duras excluſus amicae
Fertur amans carmen concinuiſſe fores.
Carmen opus noſtrum eſt, Ego carminis auctor, & ipſa
Ad numeros veniunt, Me duce, verba ſuos.
Naſo, niſi ingenium moviſſet culta Corinna,
Luſiſſet teneris carmina nulla modis.
Cynthia Te vatem fecit, facunde Properti,
Et Nemeſis famae cauſſa, Tibulle, tuae eſt.
Ergo age, care Puer, materni aſſertor honoris,
Fac teneam nullo regna minora Deo.
ECKIUS Aoniae certiſſima gloria turbae,
Legiferae magnum Virginis ille decus,
Sentiat & noſtras, Puer o mea dextera, vires;
Hoc etiam mihi de Vate triumphus eat.
Detrahe promeritas docto de vertice Lauros,
Et viridis circum tempora Myrtus eat.
Haec Venus. At Veneri ſubridens dulce Cupido;
Non opus eſt monitis, Mater amata, tuis.

ECKIUS ille novem laus invidioſa Sororum,
Ille decus tetricae deliciumque Deae,
Ardet io! & pulchrae factus jam praeda puellae,
Militiae ſequitur mollia ſigna tuae.
Qui niſi Palladios olim ſpirabat amores,
Concepit flammas, me faciente, novas.
Illum inter pulchras pulcherrima WITTIA nymphas
Traxit ab Aoniis in tua caſtra jugis.
WITTIA, quae Batavas ſupereminet una puellas,
Imperio juſſit ſubdere colla tuo.
Saepe reluctantem, Themidemque in vota vocantem
Cultorem Divam deſtituiſſe ferunt.
Saepe gravem voluit compeſcere verſibus aeſtum,
Major at in teneris verſibus aeſtus erat.
Ederat extremas mollis jam flamma medullas,
Et macie fuerant ora coacta Viri.
Pondere jam corpus, contractaque membra carebant;
Pallidior violà vultus amantis erat.
I pete Apollineis, dixi, medicamen ab herbis,
Muſaque ſollicità jam levet arte malum.
Junge novem Themidi, facunde Poëta, Sorores,
Exora faciles in tua vota Deas.
Jam tibi ſe praeſtent, quorum tu cura vocaris,
Et ſocient vires Numina tanta ſuas.

Fal-

Falleris, auxilium doctas ſi ferre Camenas,
Aut alios quicquam poſſe juvare putes.
Nulla quies tanti, nec erit medicina doloris
Ulla, niſi a noſtra (tu modo poſce) manu.
Utque Heros medicum ſenſit Theutrantius hoſtem,
Atque eadem cuſpis vulnus ope que dedit.
Sic ego, quam feci, plagam ſanabo, feretque
Dextra ſalutiferam, quae modo laeſit, opem.
Finierat. Victrix & tanto laeta triumpho,
Idalias repetit Diva ſuperba domos.
ECKIUS ad facilem properat jam ſponte puellam,
Mitis & in blandum foedus amica venit.
I, precor, O Veneris Puerique volatilis, ECKI,
Praeda, nimis lentas ſedule tolle moras.
Te tua Sponſa vocat, tua lux, tua magna voluptas,
Ut properes tacitâ WITTIA voce rogat.
Argutis te Nympha oculis invitat, & arctis
Implicitum tua te nexibus uſque ligat.
Injicit en charo pulcherrima brachia collo,
Et jungit verâ baſia blanda fide.
Seque tuam ſemper fore per ſua lumina jurat,
Lumina, quae veſtrae ſidera certa rati.
Quas non blanditias, quos non parat illa lepores,
Pectore quot format gaudia, quotque jocos?

Ecce parat roſeum, quo te candentibus ulnis
  Adſtrictum teneat nocte ſilente, torum.
O tenebrae ſuaves! o lumine clarior omni
  Nox bona! de coelo praecipitata veni.
Una dies Sponſis it toto tardior anno,
  Hora nimis longi temporis inſtar habet.
Phoebe Pater metas inviſae contrahe lucis,
  Et nimium lentos corripe, Phoebe, gradus.
Nec tibi de coelo cito ſit deſcendere Luna,
  Impediant curſus Latmia ſaxa tuos.
Te quoque Abydenus doluit properare Natator,
  Nec tulit exiguas noctibus eſſe moras.
Erubuit, flexitque ſuos ad gaudia vultus,
  Et nitido fulſit purius orbe jubar.
Ite, licet, gemini, nil vota moramur, Amantes,
  Junctaque legitimo ponite membra toro.
Excipe dilectum formoſis, Sponſa, lacertis
  Inque tuos veniat, Nupta pudica, ſinus.
Non blandi ſonitus, jucundaque murmura ceſſent,
  Et juvet alternos Faemina Virque jocos.
Hactenus. Ulterior non eſt vulganda voluptas,
  Oppoſitas thalami claude, Marite, fores.
Lectus &, arcani quae ſola eſt conſcia ſacri,
  Umbra bonae noctis gaudia veſtra ſciant.

Vive

Vive diu felix hac, ECKI, compare, ſitque
Longus amor thalamo, nec moritura fides.
Poſtque novem Lunae, reparatis cornibus, orbes
Te faciat pulchrâ prole Marita Patrem.

GAUDIUM.

ECKI deliciae tuae puellae;
ECKI praeda recens tuae puellae,
O quae nunc animum beatitates,
Et quantae ſubeunt, beate Sponſe?
Cui tam lactea, tam venuſta Virgo,
Cui tam mellea jam patet puella,
Qua nec pulchrior ulla cultiorque,
Qua nec ſuavior ulla mitiorque
Matris imperio ſubeſt Amoris.
O felix animi, beate Sponſe,
Omnes jam fugiunt tui dolores,
Jam ſuſpiria, jam graves querelae
Cedunt pectore, & acquieſcit aeſtus.
Succedunt Charites, joci ſaleſque;
Huc huc agmina pervolant leporum,
Et cum Matre ſua tener Cupido,

Om-

Omnis laetitiae parens Cupido.
Qui duram tibi mitiget puellam,
Vibrans agmina mille ſpiculorum
In praecordia Virginis cupitae.
Quae ponens animum ferocientem,
Et te purpureis premens labellis,
Inter mille jocos facetiaſque,
Tot tibi dabit oſculationes,
Tot panget tibi ſuaviationes,
Quot nec multivolo dedit Poëtae
Quondam Lesbia baſiationes.
Nec Neaera ſuo tulit Secundo.
Debent cedere Cynthiae furores,
Ardores animi tui Properti,
Mellitis Dominae novae ſuſurris;
Quae circumſiliens amata colla,
Inſanum furit acriter furorem,
Cervicesque onerans Viri beatis
Oſculis nimis atque delicatis,
Pectus alligat arctiore vinclo,
Vitis brachia quam retentat ulmus,
Atque ipſis hederis tenaciore.
Donec tu nitido ſinu quieſcens,
Et dulci gremio receptus, ECKI,

Om-

Omnem pectoris allevaris aeſtum.
Tunc blandis Dominam ſonis vocabis,
Et tuam Venerem, tuumque numen,
Tuas delicias, tuos lepores,
Et deſiderium, tuamque vitam,
Et ſolatiolum gravis doloris,
Et quas blanditias amor miniſtrat.
Omnes pectore Virgines fugabis,
Et ſpernes merito leves figuras.
Excident Amaryllidis ſeverae,
Et faſtidia Phyllidis ſuperbae,
Et lenti Dominae prioris ignes.
Omnes WITTIA vincit una flammas.
O! quantum tibi temporis periſſe,
Et quot jam viduas abiſſe noctes,
Plorabis placitam tenens puellam.
Tunc & caelibis otium cubilis
Deteſtaberis, & moras inertes.
Tunc nunquam tibi ſuavius fuiſſe,
Jurabis Dominae tuae per ignes,
Auctores oculos tui furoris.
His tu deliciis ſubire mortem,
Et blandis cupis immori lacertis.
Euge! jam nimium beate Sponſe,

O ECKI

ECKI deliciae tuae puellae,
ECKI praeda recens tuae puellae,
Et regni nova pars Dei volucris,
Paulum deſere Virginis ſeverae,
Et Sanctae Veneris reviſe caſtra.
Quae nunc auſpiciis bonis jugatae
Diviſo imperio regent viciſſim,
Et junctis ſtudiis Deae fovebunt;
Et noctes ſibi vindicabit Alma
Amoris genitrix, dies Minerva.

VIRO CELEBERRIMO ARNOLDO DRAKENBORCHIO, LECTISSIMAM VIRGINEM CATHARINAM WALLIAM DUCENTI FELICITER.

[library stamp]

NEcte Cytheriaca felicia tempora myrto:
Viciſti; en thalamos intrat amata tuos.
Digna decennali (nam tot tibi reſtitit annos)
Praemia militia, Sponſe beate, refers.
Illa ferox meritis, facieque animoſa puella,
Illa verecunda virginitate tumens,
Illa tibi primis gratiſſimus ignis ab annis,
Illa, tibi juveni, Wallia, dulce malum,
Succubuit, Venerisque jugo cervice recepto,
Facta pharetrato praeda benigna Deo.
Victa, Drakenborchi, tibi brachia porrigit ultro,
Laetaque ſub titulos & tua jura venit.
Jam piget, & faſtus ſtudet excuſare priores,
Et fore ſe jurat tempus in omne tuam.

Nomina jam ſocii, jam vincula ſanguinis odit,
Sed propiora, Cypri quae Dea nectit, amat.
Nec cognata tibi, ſed conjux cara vocari
Ambit, & a thalamo publica verba fugat.
Teque virum, lucemque ſuam, vitamque profeſſa,
Luxuriat blandis ingenioſa ſonis.
Dumque gradus primos repetit pudibunda caloris,
Et quam dura tibi difficilisque fuit;
Poenitet, &, roſeo vultum ſuffuſa rubore,
Saevitiam vellet teſte carere ſuam.
Vidimus indomitae ſed Nos faſtidia mentis,
Wallia, & in rigida fronte ſedere minas.
Hoc Ego, quo Leidae ſoleo mutare calores,
Cum furit aeſtiferi fervida ſtella Canis,
Hoc Ego rure, mei, vidi, miſeratus amici
Fata, ſupercilio fulmina miſſa truci:
Cum tua Fraternis, conſuto flore, capillis
Necteret & Sponſae dextera ſerta novae.
Vix digito tetigiſſe manus, vix brachia ſummo
Pollice, vix licuit conſeruiſſe latus.
Lactea non oculis licuit perſtringere limis
Colla, vel in niveum lumina ferre ſinum.
Oſcula ſi fúrto rapuiſſet pauca labellis,
Bellum erat, & ſaevis rixa cruenta ſonis.

Haec

Haec tolerare decem, mihi dic, Arnolde, per annos
  Quae potuit ſterili rara in amore fides?
An tibi virgineus, ne dicam verius, infans,
  Obſtitit, optata ne poterere, pudor?
An voluiſſe quidem, ſed virginitatis honore
  Elatam ex alto diſſimulaſſe putes?
Nunc, quidquid fuerit, laetos molire triumphos,
  Et ſpolia Idalio fige, ſuperbe, tholo.
Clamet, ïo, feſtos comitata Veſalia currus,
  Ducitur in ſpretos aſpera virgo toros.
Wallia, clamet, ïo, bello ſuperata biluſtri,
  Submiſit facili colla ſuperba jugo.
Adſpice, quam ſtudeat vultu celare modeſto
  Gaudia, non audens prodere tecta palam.
Num potius, dilata gemens connubia, moeret
  Tot Veneris vacuos praeteriiſſe dies?
Ecce volat, celeransque gradus ad templa Diones,
  Ponere deproperat virginitatis onus.
At tibi, pro ſaevis, lentiſſima Wallia, factis,
  Imprecor, aſſiduus pectora fervor edat.
Flamma modo careat, careatque inſania fine,
  Et gravior Siculo corda vapore coquat.
Quique tulit luſtris fera tot tormenta duobus,
  Urat inexſtincta te face luſtra decem.

Et tu, Sponſe, tori quem ſpes tam lenta peredit,
  Maxima cui toties vota fuere mori,
Incipe jam ducta fauſtis tibi conjuge Divis,
  Pectore delicias non capiente, frui.
Unica curarum tibi nox oblivia ducet,
  Metaque ſolliciti ſumma laboris erit.
Jam ſtringens cupidis pulcherrima membra lacertis,
  Oſcula non rapies, ſed data ſponte feres.
Cum dominae madidos aeſtumque fatentis ocellos
  Adſpicies, flamma, qua calet illa, calens:
Infuſusque bonae gremio conſortis, ab imis
  Oſſibus ad ſenſus gaudia plena trahes:
Cum gradibus numerisque ſuis perfecta voluptas,
  Confundentque animas corpora juncta duas:
Wallia, clamabis, tanti, mea Wallia, tanti eſt,
  Damnaque tam longae nox levat una morae.
Quae datur ex facili, placeat victoria ſegni:
  Dedecorat fortem palma parata virum.
Plaudimus, & primae ſimiles, Venus alma, rogamus,
  Innumeras noctes da, ſimilesque jocos.
Ut fluvio delapſa, lares oblita paternos,
  Nupta viri dulces diſcat amare focos.
Surgite de vitreo, Rhenanae, ſurgite, Nymphae,
  Gurgite, caeruleis turba decora comis.

Cingite

Cingite navigium, madidaſque natate choreas,
  Fauſtaque arundineis fundite verba modis.
Dumque Venus reſidet, comitata Cupidine, puppi,
  Ducite conſortes per vada ſtrata domum.
Tu quoque, Rhene pater, muſcoſis excitus antris,
  Cornigerum gelido flumine tolle caput.
Et, Vahalis linquens rapidi divortia, dextro
  Agmine collectis labere plenus aquis.
Devehe felices ad rura Batava maritos,
  Et rege, dum prono defluit amne, ratem.
Te tua Trajectum, qua non tibi gratior olim
  Regia, dum flueret ditior unda, rogat.
Ecce ſcholae doctaeque urbis regnator Apollo,
  Obviaque it vati laeta Minerva ſuo.
Redde ſuis blanda comitatum conjuge libris,
  Fac habitent una Muſa Venusque domo.
Augeat haec thalamum numeroſa prole pudicum,
  Ampliet ingenii fertilis illa decus.
Haec laribus patriis, famam paret illa Lyceo,
  Vindicet haec noctes, vindicet illa dies.
Bella gerat conjux tenebris Cythereïa, ſurgens
  Virginei maneat cultor, ut ante, chori.

EPI-

IN NUPTIAS
GUILIELMI VAN DER MEULEN,
ET
CLARAE MARGARITAE DE MAREZ,

CELEBRATAS VIII. MAJI ANNO MDCXC.

Ergone complexu charae divulſa parentis,
  Ardenti juveni caſta puella datur!
CLARA inter Batavas multum celebrata puellas,
  Et decus, & ſecli gloria magna ſui.
Quam multi juvenes fruſtra petiere, nec ulli
  Quam, Guilielme, tibi, cedere digna fuit.
Ecce faces accendit Hymen, fert gaudia Cypris,
  Ipſa tibi nectit florida ſerta Themis.
Phoebe cito propera, curſumque abſolve, nec ultra
  Sponſorum differ gaudia, Luna veni.
Luna veni, lectoque novos compone maritos,
  Excipiat gremio CLARA pudica virum.
Nil niſi laſcivos ſtrepitus, blandosque ſuſurros,
  Ora ſonent, centum baſia labra crepent.

Et

Et conjuncta animas confundant corpora, uterque
  Molles blanditias, deliciaſque ferat.
Felix! ô nimium felix hac virgine conjux!
  O nimium felix conjuge virgo tuo!
Vivite felices, concordes vivite, nulla
  Conjugium turbet rixa, perennet Amor.

BIBLIOTECA NAZIONALE TORINO

IN NUPTIAS CAROLI CRUCII, ET MARIAE VERWOUT.

CELEBRATAS QUARTO KALENDAS DECEMBRES AN. MDCLXXXX.

Conjugis ereptae funus lugebat acerbum
  CRUCIUS & thalamo fata inimica ſuo.
Vidit, & indoluit blandiſſima Mater Amoris,
  Quae luctum moeſtis ſola levare poteſt.

Siccine, qui noſtris miles fortiſſimus olim
In caſtris meruit, ſigna relinquit, ait?
Sic languebit iners Carolus, ſic frigidus aevum
Tranſiget, & viduus ſemper amoris erit?
I puer & lecta Carolum transfige ſagitta,
Atque iterum ſubeat, quod tulit ante, jugum.
Illum infelices pudeat ſine conjuge noctes
Ducere, & in ſolo ſecubuiſſe toro.
Fac, animo ſubeat jucundae cura puellae,
Rurſus & in caſtris militet ille meis.
Amſtelis ignoto pariter tangatur amore,
Ardeat, & cupidi flagret amore viri.
Quaeque repugnavit, toties tentata, viciſſim
Mitis amatori fiat & aequa ſuo.
Reſpuat expertem thalami vitam, nec inane
Perpetuae nomen virginitatis amet.
Mutua felices conjungant foedera amantes,
Et coeant ſocio foemina virque toro.
Audit Amor, Matrique ſuae parere paratus,
Exigua torſit ſpicula certa manu.
Ardet, & accepto concepit vulnere flammas,
Urit & hoc Mariam Carolus igne ſuam.
Felix Sponſe, avibus Virgo tibi ducta ſecundis
In thalamos veniet jam, veniatque, tuos.

Felix Sponſa, tibi fido nuptura Marito:
  Tot tibi qui annorum damna rependet, erit.
Felices ambo, quos Magni Pronuba Fratris
  Et Soror & Conjux ad ſua ſacra vocat.
Ite, precor, laeti, quae vos committet in unum,
  Quam cupitis, celeri jam venit hora pede.
Mille joci veniunt, mille oſcula, mellea verba
  Mille, ſed o! numeris non referenda meis.
Tandem, ubi Phoebus equos curru ſejunxit, amantes
  Excipiat roſeo ſparſus odore torus.
Corpora nuptorum ſociet, quae mutua dudum,
  Tam bene conjunxit pectora, caſta Venus.
Duret amor longe, jucundaque vita: beatos
  Vos reddant Paphiae munera grata Deae.
Sit concors vobis thalamus, ſine murmure laetae
  Proveniant noctes, & ſine lite dies.
Et quae praelucet, ſacris accenſa maritis,
  Accendat veſtros fax ea ſera rogos.

WILHELMO CRUCIO,

E T

ALIDAE GRONOVIAE,

F E L I C I T E R.

HEINSIACI manes, GRONOVIAQUE umbra, perennis
 Tam bene quos vitae tempore junxit amor;
Ecquid, ut acceſſit veſtras Hymenaeus ad aures,
 Qui canit ad priſcas, Matre jubente, fores,
Protinus in memores rediit concordia mentes,
 Quae vinxit geminos intemerata lares?
Ecce novo coeunt veſtro de ſanguine nati
 Foedere, & in ſero ſemine durat amor.
Cingit io! CRUCIUS victricia tempora myrto,
 Implicat en feſtas Idalis herba comas.
Votaque, quod precibus ceſſit GRONOVIA caſtis,
 Reddit, & imponit tura merumque focis.
Plaudite de campis, ſi quid ſentitis, amoenis,
 Murmur ab Elyſiis vallibus aſtra petat.
Fataque veridico jam laeta nepotibus ore
 Dicite, quae pulchri temporis omen habent.

Cre-

Creſcat ad augurium, qui nunc incepit, avitum,
  Flagret & in nuptis tempore major amor.
Summa tamen voti, genibus ſtatuendus avorum
  Sit puer, Aonii fama futura jugi.
ô Ita Diva velis! genialem Pronuba lectum
  Quae ſtruis, & ſponſam ducis ad ora viri.
Solve, bonis avibus, zonam Lucina ligatam,
  Et titulum per te virgo parentis amet.

XXVI. OCTOB. MDCCVI.

NUPTIIS
FRANCISCI BURMANNI
ET
ELISABETHAE THIRIAE,
FELICITER.

CELEBRATIS D. XI. DECEMB. ANNO MDCCIII.

DIcebam tibi non longam ſine compare vitam,
  Otia nec vidui lenta futura tori.

Ridebas: vatesque tibi jam falſus habebar,
  Tamque bono augurio non erat ulla fides.
Dicta probat mediis jam flamma recepta medullis,
  Et tua, Frater, edens abditus oſſa calor.
Ecce Dei volucris penetratum cuſpide caeca
  Pectus ovat faſtus detumuiſſe ſuos.
Cuncta domans, ſegni de ceſſatore triumphat,
  Et premit impoſita calce ſuperbus amor.
At bene! tam facilem quod det tibi Cypris amicam,
  Nec ſpolium Dominae juſſerit eſſe ferae.
O bene, non graviter quod lentos vindicet ignes,
  Nec memor elapſi temporis eſſe velit.
Mite Venus numen longaeque oblita repulſae,
  Obvia cunctanti non negat ire viro.
Ducit ad inſignem manibus te ſponte puellam,
  Utque velis Paphii pars rogat eſſe chori.
Et ne poeniteat ſeros hauſiſſe calores,
  Egregio reparat foenore Diva moras.
Moribus & nivei ſpectabilis oris honore
  THIERIA dat victas, ſub tua jura, manus.
THIERIA communes ſuperans, collata, figuras
  Sponſa, Dionaea conciliante, venit.
ô Felix animi frater, cui Mater Amorum
  Militat, & Veneris cui capit arma puer.

Utere

Utere divino, jubet aetas fluxa, favore,
  Optima nec vitae pars tibi currat iners.
Sint ignota licet, rapient nova gaudia mentem,
  Terga dabit, tibi quis ſi fuit ante, dolor.
Ah! quoties blandis dum jungitis oſcula verbis,
  Oſcula juncta novi cauſſa furoris erunt.
Ah! quoties ulnis innexa tenacibus uxor,
  Nolet ab amplexu ſurgere lenta tuo.
Non tibi jam Solis coget praenuncius ales
  Frigida de vacuo tollere membra toro.
Non tibi productae geminabunt taedia noctes,
  Sed citior ſolito jam tibi ſurget Eos.
Tarda nimis tremulas conſcendet Delia bigas,
  Candidior medio nox erit alta die.
Conjugis infuſus gremio, non pectore doctos
  Verſabis vigili, laſſus, ut ante, libros.
Otia ſuadet amor, partem jam vindicat uxor
  Temporis, & ſtudiis quod perit, illa rogat.
Ite catenati, conjux jubet, ite labores,
  Blanditiis cedas, Muſa ſevera, novis.
Gratius eſt Dominam cupidis foviſſe lacertis,
  Volvere nocturna quam mala ſcripta manu.
Quid petitur multa, niſi nomen inutile, cura,
  Famaque, vix tanto digna labore peti.

Ube-

Uberius, Frater, tentet tua pectora lucrum,
  Et capias operae fertilioris opes.
Semina foemineum reddet felicius arvum,
  Largior ex plena conjuge fructus erit.
Jam tibi feſtivus reptabit, ita ominor, infans,
  Inque Patris genibus dulce ſedebit onus:
Jam dubios diſcet te frangere blanda magiſtro
  Filia, ſollicitae matris imago, ſonos.
O! Ita caſta velis, thalamis praefecta maritis
  Juno, laboranti quae properabis opem.
Cynthia, ne decies coeant tua cornua, natum
  Quin teneat gremio, ſoſpite matre, parens.

IN NUPTIAS
HERMANNI VAN DE WALL,
ET
SARAE BALDE.
CELEBRATAS XVIII. AUGUSTI ANNO MDCCX.

ERgone Te, WALLI, ſubiit quoque cura puellae,
  Et ſocio praebes libera colla jugo?

Fri-

Frigentemque exoſe torum, tibi jungere gaudes,
  Taedia quae vitae caelibis una levet?
Poſtque tot annorum viduas ſine conjuge noctes,
  De domita tandem Virgine palma venit?
Cinge Dionaea victricia tempora Myrto,
  Perque comas feſtas Delphica laurus eat.
SARA, diu precibus caſtis Tibi viſa reniti,
  Dat facilis victas in tua jura manus.
A teneris Tibi quam fraternus junxerat uſus,
  Arctior at poſthac conciliabit amor.
Viderat haec longo jam tempore ſemina flammae
  Aliger, & blando riſerat ore, Puer.
Non opus, ut faciant nova vulnera, promere, dixit,
  Spicula, non mentes, cura, domare rudes.
Jam vinclum gentile gradus augmentaque fecit,
  Unicus, ut coeant proximiore, labor.
WALLIUS ut, quem jam cognatum appellat amico
  SARA ſono, nomen poſſit habere viri.
Quique fuit primis felici coeptus ab annis
  Omine, conjugii foedere creſcat amor.
Neuter ad obſequium mihi vi cogendus, at arte
  Eſt opus, ut certam praeſtet uterque fidem.
Sic ait, & poſitis, ut amantes falleret, armis,
  Virginis occulta pectora fraude ſubit.

Non aditu primo, vehementi concita motu,
  Senſit in adfectum cor penetrare Deum.
Et ſibi gentilem haud aliter credebat amatum,
  Quam de cognatis quilibet alter erat.
Hunc tamen a turba ſenſim diſcernere diſcit,
  Luminaque in placito fixa tenere viro.
Nunc taciti vultum, nunc laudat verba loquentis,
  Nunc oculis luſtrat ſingula membra vagis.
Formaque, dum cupide ſpectat, jam pulchrior eſſe,
  Et mage neſcio quo viſa placere modo.
Illius adloquio ſe mire laeta juvari
  Sentit, & abſentis non bene ferre moras.
Grataque cum ſomnos Hermanni rumpat imago,
  Haec viſa eſt ſecum, nocte ſilente, queri.
Hei mihi, cur reliquis te, Walli care, propinquis
  Praefero, nec placeas cur mihi cauſſa patet?
Cur, quoties ad me flectis tua lumina, tingit,
  Diſſimulem quamvis, diſcolor ora rubor?
Cur, licet enitar durum componere vultum,
  Blandior eſt ſolito frons faciesque mihi?
Cur mea turbantur vehementer pectora, cum Tu
  Grata ſalutanti murmura voce refers?
Cur, quoties dubiis me tentas, improbe, verbis,
  Ambiguis dictis omen ineſſe reor?

Oſcu-

Oſcula cur tua jam non officioſa videntur,
  Sed mihi conſueto fervidiora dari?
Hei mihi, cur toties rumpunt ſuſpiria voces,
  Quae veniunt imo pectore ſponte ſua?
Sic Sara in varias partes diducitur, & quae
  Cura fatigatum neſcia pectus edat.
An ſit amor dubitat, nec adhuc ſibi vera fateri
  Suſtinet, & falli mallet: at illud erat.
Tectus amicitiae fallaci nomine, Nympham
  Luſerat ingenuae ſimplicitatis Amor.
Nil tamen utilius, quam ſic erraſſe, puellam
  Et ſuavi errori crimen abeſſe docet.
Hinc jam non dubiis mens plena caloribus, ardet
  In ſibi jungendi conjugis ire ſinum.
Impatiensque morae timido ſuccenſet amanti,
  Quod dubitet mentis pignora certa dare.
Nec ſibi ſufficiunt nutus, oculique loquaces,
  Sed gravis ardoris nuncia verba petit.
Et puto, caecus adhuc dubios tenuaſſet amantes
  Ignis, inexpertos tabe latente vorans.
Sed, ſtimulante Deo, felix audacia venit,
  Et prior ad Dominam blandus amator adit.
Linguaque, purpureo dictante Cupidine verba,
  Edidit hos, Walli, ſponte diſerta, ſonos.

 Quid

Quid juvat ulterius tacitos celare calores,
  Et quae ſe produnt condere, SARA, faces?
Cur ego tam lento nequicquam maceror igni?
  Cur trahis in longum gaudia noſtra diem?
A tenera mihi Tu placuiſti ſola juventa,
  Tu mihi, ſint teſtes Numina, primus amor.
Non alius tetigit fervor mea pectora, flammae
  Tu mihi principium, Tu mihi finis eris.
Pollicitus thalamo Te natus Cypride noſtro,
  Et Dea conjugii ſponſor amica fuit.
Tu quoque non modicis flammis, nam certa notavi
  Signa, licet pugnes diſſimulare, cales.
Alter in alterius, ſic Dì juſſere, lacertos
  Tendat, & implicitos oſcula mille ligent.
Nec pudor impediat ſecretos prodere ſenſus;
  Oſcula ſed vera da mihi juncta fide.
Erubuit; poſitoque ruens in colla timore,
  Ex humeris ſponſi BALDIA pendet onus.
Atque ita; perpetuo ſociemur foedere, WALLI,
  Nil, niſi mors, noſtram rumpet amara fidem.
Nec mora; tam caſto cupide reſpondet amori
  WALLIUS, &, SARAE pectus & ora premens,
Tolle moras, properemus ait, diſpendia longae
  Deliciis ſubitis ſunt reparanda morae.

Ceſſa-

Ceſſatum ſatis eſt: feſto jam limine pendent
  Serta, quatit taedam jam tibi cultus Hymen.
Pronuba nos thalamo Juno componat eodem,
  Haec tibi nox zonam ſolvet, & uxor eris.
Denique caſta favens votis Lucina, novata
  Poſt decies Lunae cornua, ſolvet opus.
O facias rata vota Deus! faecundaque dudum
  Floreat innumera WALLIA prole domus.
Et tibi cognata genitos de ſtirpe nepotes,
  BALDIA Gens, videas amplificare decus.
Sic nova Naturae ſuper addita vincula nodo
  Unanimem ſervent ſemper utramque domum.

IN NUPTIAS ALBERTI ALBERTHOMAE, ET GERTRUDIS JUSTINAE COEGELEN VAN DORTMONDT.

CELEBRATAS ANNO MDCLXXXXI.

ITe leves Elegi, geniales ite Camenae,
  Et thalamos ſocii concelebrate mei.
Ille, Cupidineum toties qui riſerat arcum
  ALBERTUS, tacito vulnere laeſus, amat.
Ardet iò! in tenera (fieri quis poſſe putaſſet)
  Virgine, ſubrepſit jam rude pectus amor.
Alta jacent jam verba viro, faſtuſque feroces,
  Et ſpretas leges vindicat alma Venus.
Sentiat & noſtri ſit quanta potentia regni
  Et ſubeat leges, quas prius odit, ait.
GERTRUDIS nitidis illum praedetur ocellis,
  Praedaque ſit domino non minus ipſa ſuo.

Utra-

Utraque felici jungantur foedere corda,
  Flagret in alterno mutua flamma ſinu.
Euge! ALBERTE, caput carum Dîs, omine pulchro
  Intrabit thalamos Virgo cupita tuos.
Virgo Vianeas inter pulcherrima Nymphas
  Mille tibi luſus laetitiaſque parat.
Injiciet charae cervici brachia, junget
  Oſcula, vel magnis invidioſa Deis.
Et TU tam fido tibi Virgo beata marito,
  Qui ſine te caelebs uſque futurus erat.
Hymen O Hymenaee faces accende maritas,
  Accedas laetis Pronuba Juno ſacris.
Lecca pater gaude, vicinaque numina Nymphae,
  Nectite nupturis Myrtea ſerta comis.
Feſſus in Oceanum jam Phoebus ſidit Iberum,
  Lunaque pallentes candida jungit equos.
Ite, precor, gemini (quid adhuc ceſſatis) amantes.
  Sed ſubit, en, timidae Virginis ora pudor.
Nil timeas, Virgo, nihil hac tibi parte rubendum,
  Nil, niſi promittit gaudia caſta torus:
Deliciae, blandaeque manent te murmura linguae,
  Et, quorum nox eſt conſcia ſola, joci.
Me miſerum! quod non noſtris memoranda Camenis,
  Dulcia quae ſocius gaudia lectus habet.

Tu

Tu Lucina fave, faecundis partubus orna,
  In quibus agnoſcat ſe Pater ipſe, torum.
Pax & amor thalami firmiſſima vincula durent,
  Obfuſcent laetos jurgia nulla dies.

EGREGIO JUVENI

JOHANNI THEODORO VAN DER SCHUUR,

SPONSO,

ET

LECTISSIMAE VIRGINI

MARIAE SCHULERAE

SPONSAE

FELICITER.

SChuri, deliciae politioris
Et cultae decus unicum juventae,
Qui pectus ſtudiis prius ſeverae,
Et centum catus artibus Minervae

For-

Formaſti; & lepidis venuſtiorum
Te mox addere Virginum Choreis,
Jacturam vacui bonam putaſti
Temporis, procul a licentioris
Pubis luſibus, & proterviori
Secli nequitia libidinantis.
Quem pars integra civium bonorum,
Non vano augurio, ominatur inter
Rectores patriae brevi locandum.
Hoc vis ingenii, indoleſque fauſtis
Nutrita in laribus, bonoque cultu
Roborata, tibi, ſpopondit olim,
Trajectum, egregio ſuperba alumno.
At tu dum meriti manent honores,
Non ceſſas tamen adjuvare parte,
Qua potes, patriam; virumque te jam
Quaerendae ſoboli exhibes paratum.
Te purus rapuit calor puellae,
A prima face fervidae juventae;
Ad quam ſub ſpecie propinquitatis
Et conſanguinei Laris ſub umbra,
Te duxit manibus Cupido laetis.
Vix primo Pueri dolos volucris
Et fraudes aditu bonas videbas.

Jctum qui meditans latente telo,
Et caecis facibus movere flammas,
Dum dulci officium facis propinquae,
Cultoris titulo ſub obſequentis,
Infudit tacitum vafer venenum.
Qui non ora pudor notabat olim,
Cognatam quoties adire blando
Affatu, & mediis ſonis parares?
Haerens, & titubante verba lingua
Edens dimidiata, vix ſuſurro
Audebas timido vocare Amicam;
Sed ſtatim metuens, procantis oris
Ut lenocinia haec placere poſſint,
Infanti revocas pudore dicta,
Reddens publica voce verba blaeſa.
Ad dulcem tamen ipſa lingua lapſum,
Mentis pignora dans, redit ſubinde;
Argutiſque oculis, ſuperciliique,
Motu non tacito, loquacibuſque
Vultus nutibus, o proterve, ludens,
Sic te poſſe loqui rudi puellae
Monſtras, blanditiiſque mox pudentem
Permulcens Mariam, doces tenellas
Aures mollia ſuſtinere verba;

Ap-

Appellanſque animam, tuamque vitam,
Et rurſus Venerem, tuumque ſidus,
Et rurſus Dominam, tuumque numen,
Et ſolatiolum furoris acris,
Et quos praeterea ſonos miniſtrat
Mellitos juveni calor diſerto,
Captas illecebris, facetiiſque
Pectus virgineum leporibuſque,
Ut jam quid ſit Amor, lubens volenſque
Diſcat, pectus & intimas medullas
Dum tectis domat ignibus Cupido,
Tanta vi ſubiens, jubente Matre,
Ut tandem poſita ferocitate,
Mentis vulnera ſponte ſauciatae
Prodat languidulis ſubacta ocellis.
Quamquam fingere, virginum Tyrannus,
Iras fronte jubet pudor ſevera,
Proditore tamen fatente riſu,
Has jam blanditias placere Nymphae
Sentis non dubiis notis, Amator,
Arcanos Mariae tuae tumultus;
Laudari ſua quae triumphat ora,
Inſtanteſque oculos protervioris
Fert conſtantius in dies amantis:

Et blandum dubio proco renidens,
Jam non a cupido manus tenellas
Tractari renuit, negatve dura,
Ut conſueverat, oſculum petenti,
Jam nec brachia lacteum ruentis
In collum rigido repellit ictu;
Sed vinci cupiens, ſuaque palmam
Tradens proditione, mox labaſcit,
Cognatique ſui ruens in ulnas,
Aſpectu tremulo fatente flammam,
Quae jam viſcera pervagatur ima,
Suſpirat; Tua ſim, meuſque Tu ſis,
O jam pars animae, meaeque vitae
Lux, deſideriumque, Jane, noſtrum.
O quam pulchrior, & benignior jam,
Quam mellita magis, venuſtiorque,
Quam feſtivior, ac prius, videris
His, Schulera, datis ſonis, amanti?
Vix jam gaudia plena differenti,
Ad ſupremaque vota convolanti.
Quae dum mos, pudor & moleſtae
Leges ritibus invidis morentur,
Et ſanctae tibi nuptiae parentur,
Schuri, baſia mollibus labellis,

Omni nectare ſuaviora, pangis;
Et captans niveum ſubinde collum,
Amplexuque ligans tenaciore,
Ulmi brachia quam marita vitis
Ambit, aut hederae tenent ſequaces
Excelſae ſpatioſa membra quercus,
Immori Mariae cupis lacertis.
Quas non dentis habent licentioris
Cervices teretes, eburneique,
Qua patent, humeri notas procaces?
His proludere luſibus jociſque,
Res jam quanta tibi, beate Sponſe,
Et Dîs jure videtur invidenda?
At mox quum cumulatior voluptas,
Et ſincerior in tuas medullas
Penetraverit, uberique plena
Mentem gaudia copia replerint,
Clamabis, Superi, tenete coelum,
Non veſtrae invideo beatitati,
Dum de purpureis meae labellis
Sponſae nectarei fluant liquores,
Dumque os ambroſias dapes, Sabaeos,
Det, longe ſuperans odore rores.
O quas non teneris jacens in ulnis,

Et nuptae implicitus novae laçertis,
Schuri, delicias, beate, guſtas?
O quot non, thalamo recepte, luſus
Sacris conſcia nox tibi maritis,
Et lecti genius dabit jugalis?
Ite, o pronuba Virginum Chorea,
Molli corpora collocate pluma,
Jam jam nexibus implicanda miris,
Et nodis coitura, copuliſque,
Quas non puniceo rubens amictu,
Tithoni fugiens cubile Conjux,
Nec pleno nitidum diem referre
Feſtinans nimis orbe Sol reſolvet.
At te ne pudeat, recens Marite,
Jam Phoebo medium tenente coelum,
Cunctanter roſeis levare membra
Stratis, nec foribus gradum ante clauſis
Effer, quam ſpolio fide ſubactae
Vera Virginitatis, haec ſuperbus
Jactes ad Mariae, tuoſque, caſta
Haec per vincula, jam novos parentes.
Plenum non decimâ reſumet orbem
Fratris luce Soror ſui refulgens,
Quin veſtro gremio feram nepotem,

Qui

Qui deſiderium unicae puellae,
Traditae mihi, leniat; ſequentur
Mox neptes aliae, marcſque plures:
Sic promiſit enim Soror Tonantis,
Quae, graves uteri levans dolores,
Pulchra prole torum ſacrum beabit.

CASPARO COMMELINO
ET
CORNELIAE JACOBAE BACKERIAE
SPONSIS
FELICITER.

DIcebam tibi, contumax, & ore
Duro frena pati negans Diones,
Necti retia callidoſque nodos.
Dicebam tibi, COMMELINE ſollers
Ridere inſidias doloſque Amoris,
Arcum jam ſinuare, ſubdolumque

Sagit-

Sagittas Puerum parare furtim.
At tu fortior, atque amica ſpernens
Tam certi monita auguris, nec ipſis
Votis dans facilem manum Paternis,
Et ceſſator iners, diuque Matris
Tam juſtis precibus piae repugnans,
Jactabas tibi roboris, feroque
Pectori ſupereſſe ſat vigoris;
Quo flammas Veneris, Deique vana
Cor tutum penetrare tela caeci,
Munitus Scythico gelu, vetares.
At quo nunc abiere tot ſuperba
Linguae magnificae, miſelle, dicta?
Langues, & cecidere mentis altae
Flatus; jam patiens jugi potentem
Exorare Deam, nefaſque triſte
Aeterno obſequio piare tendis.
O factum bene! nam caleſcis igne
Te digno, atque peris amore Nymphae,
Quae te ſubdere colla jam volentem
Non dura imperio reget benigno.
O CASPARE, toro beande fauſto,
Lectae Virginis & calore felix!
Nam te non domuit figura, propter

Quam faſtus poſuiſſe mox pigeret.
Sed lento tibi quae rependat aevi
Lapſi foenore largiore damna.
Te BACKERIA jam tenebit ulnis,
Inter Amſtelias micans puellas,
Parvos aurea ſicut inter ignes
Phoebi, noctis honos, Soror renidet.
Virgo te rapuit, potens parentum
Clarorum titulis, genuſque ducens
Longo ſtemmate, principes ſenatus
Complexo Amſtelii, atque honore raro
Quae BACKERIA GRAVELANDIANIS
Miſcens nomina, gentium duarum
Dotem infert Thalamis tuis ſuperbam.
Sed non ambitio fameſque turpis
Te commovit opum, caduca quarum
Mentes gloria concutit minores.
Virtus divitiis, priorque caecae
Fortunae dubiis honeſta donis
Caſtitas, decus unicum puellis,
Et nudae bonitas benigna mentis,
Incendunt face cor rapaciore.
Non inſignia, non imago vani
Splendoris rapuit doloſa ſenſus;

Sed menti ſociata rara purae
Corporis ſpecies decorque traxit.
O felix animi! torique jam jam
Compos Virginis, & future conjux;
Cypris fingere qua venuſtiorem,
Nec poſſint Charites decentiorem.
Jam te candidior vocat liguſtro,
Et nova nive purior puella,
Phoebe lucidior ſereniorque,
Clara cum ſine nubibus refulget.
Plumis mollior ambit en oloris,
Et te amplectitur uſque & uſque inhaerens,
Ut magis cupido magiſque, lance
Plena delicias miniſtret, ipſa
Delicatior omnibus medullis,
Magis lactea lacte, quo Batava
Implet ſpumiferam juvenca mulctram;
Et mellita magis liquore dulci,
Quem ponunt Siculis apes in alvis.
En, circumſiliens amata colla,
Et furens hederae tenacis inſtar
Tactu glutineo labella mordet,
Et laeti manibus ligata Sponſi;
Sumit millia multa baſiorum,

Et

Et dat quae numero carent modoque.
Quid nunc eſt animi, beate Sponſe?
Dic, quaeſo, calor hic priora quantum
Praeſtet frigora? Sed taces, renidens;
Et mox auriculis manu prehenſis,
Blandae ſuavia ſuaviora ſacro
Pangis nectare, Commeline, Sponſae.
Hinc laeva petulantiore, collo
Per vicina vagans vireta, toto
Tandem corpore fuſus, in cubantis
Deſcendens gremium, licente ſolves
Zonam virginei manu pudoris.
O quis murmura, quis leves ſuſurros,
Quis ſuſpiria, ficta quis procacis
Linguae jurgia, pacis & duelli
Intervalla quis, & reſumta ſaepe
Narret proelia nocte tam puſilla?
Laſſo corpore, viribuſque donec
Conſumptis pariter, refecta leni
Somno lumina, lividum dolebunt
Solem tam celeri redire curru.
At porro faveas, Diana, vultu,
Promittens placido moras, diuque
Noctes gaudia longiora dantes.

Ut poſt legitimos amica menſes
Plenae numina commodans puellae,
Pulchra prole torum bees pudicum.
Cuſtodite, precor, Dii jugales,
Par tam compoſitum bene, & tenellam
Matronae decorate honore Sponſam:
Et quo creſcat amor feracitaſque
Stirpis, praeſidio levi timentis,
Feſtivus genibus ſedens avorum,
Infans exhilaret Socrum Patremque,
Qui, ſolatia triſtis orbitatis,
Unicam ſociant utrimque prolem.

PETRI

PETRI BURMANNI
POËMATUM
LIBER TERTIUS
In quo Funebria.

BIBLIOTECA NAZIONALE ... DI ...

IN ACERBUM FUNUS
POTENTISSIMAE ET ILLUSTRISSIMAE
MARIAE
REGINAE ANGLIAE SCOTIAE FRANCIAE ET HIBERNIAE &c. &c. &c.

ERgo nulla tuis umquam conſtantia rebus?
  Ambiguasque ſubis, Inſula, ſaepe vices?
Inſula, quam toto diviſit fluctibus orbe
  Pontus, & aſſiduo verberat unda ſalo.

Ut, quae te cingunt, ita tu mutabilis, undae:
  Rara mari pax eſt, nec tibi certa quies.
Vix te praecipiti Batavorum cura ruinae
  Subtrahit, Auriaca ſigna movente manu.
Vix tibi Rectores fugitivi ſede reponis,
  Et das legitimo ſceptra paterna Pari.
Ecce cadit ſubito Regni pars altera veſtri,
  Laetaque funeſtat tempora funus atrox.
Illa tui plauſus, primaeque, Britannia, laudes,
  Illa decus gentis, praeſidiumque ſuae.
Illa Caledonii celeberrima ſanguinis haeres
  Occubuit; comtas, Anglia, ſolve comas.
Abjectiſque novis, quas nuper laeta parabas
  Veſtibus, hirſutas indue, moeſta, togas.
Plangor & immodici ſuſpiria ſigna doloris,
  Et lachrymae, juſti fluminis inſtar, eant.
Concine confuſo miſerandum carmine leſſum,
  Halcyonum miſeros diſce referre ſonos.
Et tu, quae nuper complebas ſidera laetis,
  Londinum, triſtes tolle ſub aſtra modos.
Urbs geme, legitimi, modo vix, quam more triumphi,
  Intravit, Populis conſpicienda ſuis.
Nec tua ſuſtineant venerabile lumina funus
  Aſpicere; averſis vultibus ora tege.

Caſſa

Caſſa jacet ſpes magna tui, Gens Anglica, Regni,
  Regaliſque abiit ſanguinis omnis honos.
Magna licet jactent annales nomina veſtri,
  Non ullus tamen Huic anteferendus erit.
Nec melius quondam te narrant, Regia Virgo,
  Foeminea populum continuiſſe manu.
Nobilior cunctis; Patribus generoſior altis,
  Praeradiat claros Foemina ſidus Avos.
Foemina, cui probitas, cui virtus contigit omnis;
  Foemina, cui facies, dignaque forma Deâ.
Ergo jure tuum deploras, Anglia, fatum,
  Et merito paſſis crinibus orba ſedes.
Ipſe pater Tameſis, pulchram qui dividit urbem,
  Ad planctum medio flumine membra levat.
Utque audita fuit tam juſti cauſſa doloris,
  Caeruleo cecidit, quam tenet, urna ſinu.
Horret, & in madidas lacrymarum flumina fundit,
  Singultu voces praepediente, genas.
Ne tamen infauſtum foedaret lumina funus,
  Vitrea pumiceo culmine tecta ſubit.
Sed tibi non ſoli, confuſa Britannia luctu,
  Contigit, innumeris publicus ille, dolor.
Ecce Europa tuum ſquallore imitata dolorem,
  Veſtibus atratis tempora triſtis agit.

Fle-

Flebilior nulli tamen haec jactura videtur,
Quam diducta brevi quae jacet ora freto.
Belgica, quae MARIAE nuper gratiſſima, tecum
Moeret, & adjungit triſtia verba tuis.
Concidit, ut primum fati ſibi nuncius atri
Venit, & attonitae diriguere comae.
Sollicitae nulla admittit ſolatia menti,
Nec ſatiant lacrymae pectora moeſta ſuae.
Me miſeram! exclamat, quid me; Regina, relinquis?
Quo ferar, ereptâ, quae mihi Mater eras?
Scilicet idcirco, nunquam reditura, Batavos
Deſeris, & tecum gaudia noſtra vehis?
Heu! ſubit iſta dies, qua, tu, dum navita ſolvit,
Implebas lachrymis ultima verba tuis.
Abſtrahor O! cari (ſi Dî voluere) Batavi,
Et revocat Patrium, jam mea cura, ſolum.
O utinam! auſpiciis melioribus ụſa fuiſſes
Anglia, nec turpi fraude petita fores.
Tu mihi ad extremum placuiſſes, Belgica, ſedes:
Nam loca deliciis plena fuere meis.
Nunc invita tuo, teſtor, de litore ſolvo,
Nec mea triſte poteſt dicere lingua vale.
Mens tamen officio mea linguae fungitur, aegre
Ingemit, hoſpitium, Belgica, dulce vale.

Inter-

Interjecta licet nos paulum dividat unda,
Mutuus aſſiduo foedere junget amor.
Quaeque meam dudum foviſti grata juventam
Terra beata, mihi cura perennis eris.
Nec plus dotalis, qui me nunc avocat, Anglus
Cordi erit, aut ſceptro ſubdita regna meo.
Hactenus. Et, gemitu verba abrumpente, carinam
Scandit: pro reditu Belgica vota facis.
Sed fruſtra reducem ſperas, quaeque abſtulit illam,
Ultima laetitiae lux fuit iſta tuae.
Illa quidem ſolio conſedit clara paterno,
Virtutique tulit debita ſceptra ſuae.
Sed nimis exiguo concedis tempore, Parca,
Imperii ſacra fraena tenere manu.
Invida quid rumpis crudeli pollice vitae
Fila, quid obſcaenas injicis, atra, manus?
Impia quid teneros ſubito disjungis Amantes?
Tam bene quos ſanctus conciliarat amor.
Quid fugis? o Regina! tuas quid deſeris urbes.
Quid linquis viduum, tam bene nupta, torum?
Si te non Populi potuiſſent vota tenere,
Chari debuerant ora tenere Viri.
Maximus ille Ducum, quo Belga ſuperbit Alumno,
Conſtitit, amiſſa Compare, mentis inops.

Et duplicis Populi luctus tam fortia frangunt
Pectora, jam damnis debilitata ſuis.
Nec dolor infandis invenit queſtibus apta
Verba, nec effudit tam grave pectus onus.
Mox, ubi mens rediit, immanem fulminis ictum
Sentit, & erumpit corde tremente dolor.
Linquis, ait, Conjux! cupidos moribunda lacertos,
Et rumpis ſocii foedera ſacra tori.
Nec ſine te ſceptrum, nec te ſine regna recepi,
Tradita ſed rerum ſumma duobus erat.
Tu mihi conſilium quondam, tua ſaepe laboris
Dexteritas noſtri grande levamen erat.
Tu requies feſſo: Tu Conjux, laſſa fovebas
(Heu! repeto) fido pectora noſtra ſinu.
Nec tibi major erat, ſemper comitata Maritum
Per dubios caſus, Hypſicratea, fides.
Cur non una dies amborum miſcuit oſſa?
Unaque cur cineres non capit urna duos?
Hei mihi! quis tales, de tanto Rege, querelas
Audiat, & lachrymas temperet ipſe ſuas?
Siſte precor fletus, ſi fas modo, Maxime Regum,
Alloquio luctum pellere corde tuum.
Hoc rogat ante pedes projecta Britannia ſacros,
Hoc Batavi cives, hoc tua terra rogat.

Hoc

Hoc tibi mandarunt morientia Conjugis ora,
  Frigidà te juſſit parcere lingua tibi.
Accipe ſubjectas, dixit, Chariſſime, gentes,
  Qua fueram in thalamos dote recepta tuos.
Conjugis ereptae damnum fatale rependes,
  Si tibi multa tuae cura ſalutis erit.
Exitiale vorat populorum viſcera bellum,
  Nec, niſi tu ſuperes, ſuſtinet Orbis onus.
Europa arbitrium belli tibi tradidit uni,
  Foederis es, Princeps, ſumma caputque pii.
Te Duce de Gallo poſt partos hoſte triumphos,
  Floreat auſpiciis Pax rediviva tuis.
Haec mandata dedit, quae tu, moeſtiſſime Princeps,
  Excipis: & lachrymas miſcet uterque ſuas.
Vidiſti extremo languentem tempore, lapſa
  Foviſti (indignum!) membra tremente ſinu.
Deficienſque manus moribundae lumina preſſit,
  Hauſiſtique animam, dum fugit, ore pio.
Illa abiit, veneranda Dei nam juſſa vocabant,
  Sed meliore ſui parte ſuperſtes agit.
Mens coelum petiit, artus includit inanes
  Tellus, & tumulus nobile corpus habet.
Effugient ſed facta rogum, vatumque modeſtas
  Laſſabit rerum maxima turba manus.

EPIGRAMMA

Repoſitum Calumniis Jeſuiticis.

REgina occubuit; ſed numine rapta benigno
  Addita jacturis, Anglica terra, tuis.
Uxor Sancta, doli vindex, pia filia, duro
  Praeponens populi commoda ſacra Patri.
Neu meriti palmam credas ceſſiſſe Marito,
  Hic juvat oppreſſos viribus, illa fide.

[library stamp]

GRATAE MEMORIAE
POTENTISSIMI
BRITANNIARUM REGIS
GULIELMI III.
SUMMI BELGARUM DUCIS.

Occidit Auriaci ſupremus ſanguinis Heros,
  Ceſſat & antiquae nobile ſtemma domus.
Terminat infauſto Gulielmus funere ſtirpem,
  Claraque tot ſecum nomina condit avos.
Belga memor meriti, caſum deplorat acerbum,
  Cum videt, extincto Rege, perire genus.
Fataque non aequas queritur ſibi ſcribere leges,
  Quae, ducibus raptis, ſe ſupereſſe jubent.
Condita Naſſaviis mea res ductoribus, inquit,
  Debuerat ſera poſteritate frui.
Extulit una duos fortuna, adolevimus unà,
  Auriaca Batavis auxiliante manu.

Gentis & a longo jam commendabilis aevo
  Per Batavas crevit ſplendor avitus opes.
Non ego tam placidis liber parere negabam
  Civibus, aut ultro nomina tanta ſequi.
Hís ego credebam rerum ſecurus habenas,
  Neſcius externo ſubdere colla jugo.
Omnia cum poterat, moderatè viribus utens,
  Celſa domus titulis eſt decorata novis.
Dum licuit, meritos perſolvi gratus honores,
  Et ducibus tantis praemia digna tuli.
Nunc etiam vellem; ſed deficit inclytus ordo,
  Et datur officio copia nulla meo.
Quod ſupereſt tribuam; quod vos tribuiſtis; Athenae,
  Ultima qui tenuit regia frena, Codro.
Nec potero Auriacis, per fata rapacia, demtis,
  Rectores alios, aut nova jura pati.
Finiat imperium, qui finit gentis honorem,
  Belligeris major Rex GULIELMUS avis.
Manibus Auguſtis haec debita gloria, nullos
  Praeter Arauſiacos noſcere velle Duces.

IN

IN FUNERE

VIRI ILLUSTRIS

GODARDI GUILLELMI
DE TUYL DE SEROOSKERKEN, TOPARCHAE IN WELLANDT, &c. &c. &c.

praeclare de patria & bonis omnibus meriti.

AD VIRUM ILLUSTREM

THEODORUM A VELTHUYSEN,

TOPARCHAM IN HEEMSTEDE, &c. &c. &c.

TRiſtia ſollicitae Trajecti carmine fata,
  Flere, Vir Illuſtris, damnaque magna jubes.
Et, qui Te propius tangit, vulgare dolorem
  Praecipis, & ſummo ſolvere juſta Viro.
Nil opus hortatu; manant en flumine largo
  Sponte genae, & querulis ſolvimus ora modis.

Tene

Tene ego, Tuylliacae nomen memorabile gentis?
  Ten' ſileam, patriae ſidus honorque meae.
Tene ego, Rectorum cultorque cliensque bonorum,
  Indictum tacito funere abire ſinam?
Non pietas, non hoc ſtudium patiatur honeſti,
  Ut mea non veniat juncta querela Tuae.
Tu tibi, Velthuſi, conſortem abiiſſe laborum,
  Tu quereris curis conſiliisque parem.
Nos patriae raptum flemus, pia turba, Parentem,
  Me tua, me populi, me mea damna movent.
Cur fera dimidium mihi, mors, ſubducis amoris;
  Cur geminum ſolvis, ſors inimica, jugum?
Dividis heu! Procerum par nobile, Parca, duorum,
  Quos Patriae certo foedere junxit amor.
Non levis excelſas ſociabat factio mentes,
  Nodus amicitiae ſed bona cauſſa fuit.
Non ſitis ad partes infamis agebat honorum,
  Compulit aut lucri foeda coire fames.
Pectora non populi concuſſit mobilis aura,
  Propoſitum juſſit ſancta tenere fides.
Tramite de recto, non cives prava jubentes,
  Non facies movit torva minantis Heri.
Artibus his inter Proceres Velthuſius omnes
  Eminet, & patriae fulget amore ſuae.

Nec

Nec minor exſtincti celebrata eſt gloria TuylII,
Quem celeri fato numinis ira rapit.
Qualis erat nuper Populi per compita plauſus?
Omina Trajectum quot modo fauſta dabat?
Aurea cum gaudens tandem ſibi ſecla reduci
Cerneret, & ſolvi colla ligata jugo.
Jam mihi, clamabat, reddantur priſtina jura,
Jam redeat priſcae conditionis honor.
Reddite rectores, recidivae, reddite, leges,
Factio quos movit ſeditioſa loco.
Dextera, qua carui ter denos preſſa per annos,
Imperii capiat debita frena mei.
Quem juvenem legi, maturi Tuyllius aevi
Jam mihi cum pleno fœnore reddat opes.
Hoc, ego deſpicio conatus, tuta, furentum,
Vindice; libertas, hoc duce, certa venit.
Tu modo, nate bono patriae, fortiſſime Civis,
Accipe, quae meritis praemia digna fero.
Sera quidem fateor; ſed ſcis, cariſſime, dira
Tempora munificam continuiſſe manum.
Non ego Te laeſi, dulciſſime, teſtor, Alumne,
Non ego Te pepuli, dura Noverca, loco.
Te peregrina manus, Te milite fulta poteſtas
Expulit, & pauci, qui coiëre, mali.

Te bona pars populi, te ſemper ſanior ordo
  Indoluit rebus non ſupereſſe ſuis.
Excidat ex alta, gravis etſi, injuria mente,
  Non ego paucorum crimina tota luam.
Te nihil, auctores ſceleris, meruiſſe, fateri,
  Flagitiique vides poenituiſſe duces.
Ipſa ſedet tacito confuſa Calumnia vultu,
  Nilque, quod in ſolido pectore carpat, habet.
Et merito. quid enim non toto Tuyllius anno,
  Quo tenuit ſummum legitimumque locum,
Quid precor, o Rabies, fecit? quo perdere turpi
  Vix data commiſſo munera dignus erat?
Scilicet in patriae non conjuraſſe ruinam,
  Jura nec externis prodere, crimen erat;
Unica, non Aulae, Tibi erat, placuiſſe ſuperbae,
  Culpa, nec ad dominos procubuiſſe pedes.
Impatiens mens alta jugi nolebat inanes
  Servitii titulos praemia ferre ſui.
Ereptae pretium plebs libertatis honores
  Captet, & hamato munere dives eat.
Non ea Tuylliacae veniant opprobria genti,
  Non ita majores degenerare juvet.
Non tulerint edicta graves cum regia Patres,
  Quis pudor eſt Dominis ſuccubuiſſe novis?

Quis

Quis memor aſſerti decoris, quis laudis avitae
Aemulus, acceptas non tueatur opes?
Dedecus, in ſancto ſuffragia juſſa Senatu,
Nec niſi dictatos promere voce ſonos.
Libera quod ſentit mens, libera lingua profatur,
Nec, niſi quod patrias augeat, ardet, opes.
Hac tua formata eſt, Wellandi, lege juventa,
Hic tibi ſervatus tempus in omne tenor.
A titulis tumidos Te nemo ſumere faſtus
Vidit, & incertis luxuriare bonis.
Non etiam adverſis cecidit conſtantia rebus,
Nec minuit mentem, quae decus, atra dies.
Proſpera non poterant, non vertere triſtia mores,
Sorte ſed aequalis vultus utraque fuit.
Excipere impavido fortunae pectore tela,
Et Jovis infenſi fulmina certus eras.
Excuteret fera Rectores ſi puppe procella,
Et maris oppreſſam mergeret ira ratem.
Docta Tibi placidum praeſtabant otia portum,
Quaeque aleret celſum pectus, amica quies.
Otia Te ſpecies monſtrabant ſpernere vanas,
Et mentem propriis exſaturare bonis.
Otia privata te laetum ſorte probabant,
Et procul a turba vivere poſſe tibi.

Nec tamen ad curas, & ad alta negotia natum
  Ingenium fregit lectus & umbra tuum.
Inſita vis animo, ſtudiis eſt facta ſeveris,
  Amplior, & damnis crevit ab ipſa ſuis.
Prompta repoſcentes juvit tua dextera cives,
  Et patriae blanda vulnera fovit ope.
Sed brevis heu! nimium venit, & fugitiva voluptas,
  Vix poſitus priſca ſede, Vir alte, cadis.
Cur, Pater, in medio cito deſeris aequore puppim?
  Cur ſubito coeptum deſeris, auctor, opus?
Spes erat optatos, duce Te, contingere portus,
  Auſpice Te longa poſſe quiete frui.
Conſiliis debere tuis ſperaverat almae
  Pacis opus bello patria feſſa gravi.
Veſtra manus gemini clauſiſſet limina Iani,
  Limina temporibus non referanda tuis.
Ad bona belligeros Tu foedera flectere Reges,
  Tu poteras blanda voce movere Duces.
Si Tu placatos iſſes legatus ad hoſtes,
  Senſiſſent Batavi praemia pacis agri.
Belgica te pacis coluiſſet grata ſequeſtrem,
  Et memor agnoſſet munera tanta nepos.
Nunc bona tot, pereunt, Te rapto, maxime Tuylli,
  Et tua mors ſecum gaudia noſtra trahit.

Laſſat

Laſſat enim Batavi fortiſſima pectora moles
  Nominis, & rerum ſarcina dura premit.
Conſiliis orbata tuis, res noſtra fatiſcit,
  Et, niſi ſuccedat par Tibi, victa cadit.
O Deus afflictas Batavorum reſpice vires,
  O capiant meriti publica frena viri.
Numine libertas Patribus quae contigit aequo,
  Floreat auſpicio, nunc recidiva, tuo.
Laeta legi Proceres videat ſibi Belgica dignos,
  Tradita per ſanctos qui tueantur avos.
Commoda, qui ſuperant Rectores, publica ſpectent,
  Nec laceret caeco rixa furore pares.
Velthuſi ſed prima tibi cuſtodia noſtri
  Sit, precor, hanc gentem ſi modo mitis ames.
Sit decus ille ſacri, per tempora longa, ſenatus,
  Gloria Trajecti duret amorque ſui.
Sentiat officium dextrae gens noſtra ſalubris,
  Expertam toties ſentiat aegra fidem.
Haec mea, Belgarum ſunt haec pia vota bonorum:
  Fac mea, Belgarum fac rata vota, Deus.

IN

ACERBUM FUNUS

Ampliſſimi & Nobiliſſimi Viri

D. JOANNIS DE WEEDE,

Urbis Trajectinae cum maxime

CONSULIS,

Et ſummis honoribus cum gloria & laude perfuncti.

CArmina laetitiae quae nuper plena movebas,
  Praecipe jam triſtes, moeſta Thalia, modos.
Ad modo quae feſtas properabas Conſulis aedes,
  Jam miſeros Elegos abdita conde domo.
Hei mihi! tunc faciles dictabant gaudia verſus,
  Strangulat immenſus nunc dolor omne melos.

In-

Invitae peragunt crudelia juſta Camoenae,
  Ipſaque prae tanto vulnere verba cadunt.
In thalamos mea te deducere Muſa vovebat,
  Laetaque feſtivis nectere ſerta comis.
Heu! quae non finxi vaniſſima gaudia mecum?
  Quae non concepi vota preceſque Deo?
Irrita vota jacent, & ſpes me luſit inanis;
  Funera pro feſtis ſunt celebranda choris.
Nec tibi fax thalami, pompae melioris imago,
  Sed ſubitura rogum fumida taeda venit.
Conſul in aeterna requieſcis ſede bimeſtris,
  Et nobis de te nil, niſi nomen, adeſt.
Scilicet, everſis ut funus faſcibus iret,
  Debueras ſummo, ſed brevè, honore frui.
Sic mactanda ſacris redimitur victima ſertis,
  Sanguine foedatam quae modo planget humum.
Vidimus ereptos, & deploravimus olim,
  Qui fuerant nobis pectora cara, Viros.
Sed tamen, ô manes functorum ignoſcite, funus
  WEDAEO aſperius nullius ante fuit.
Nam modo privatae torquebant pectora curae,
  Aut mediae flebam fata ſiniſtra domûs.
Hic dolor eſt, totam qui luctu compleat urbem,
  Ecce, piis lachrymis nullius ora carent.

Curia

Curia muta tacet, quia pars ſibi maxima deſit,
Nec videt in ſella Principis ora ſui.
Cernit ebur vacuum, fractos ſine Conſule faſces,
Conſiliique ſacri moeret abeſſe caput.
Hunc domus Aonidum ſquallorem imitata Senatûs
Praeſidium docti plorat obire chori.
Illa Senatorum florem ſibi luget ademptum,
Haec multo Patrem murmure abire dolet.
Utraque conjungit planctus, invitaque triſti
Officio exequias condecorare ſtudet.
Plebs pia, ſollicitum pro ſe ſenſura Parentem,
Huc illuc trepido fert pede moeſta gradum.
Heu! cadis, exclamat, totam furibunda per Urbem,
Grande decus juvenum, grande future ſenum?
Grande Patrum, rigidae modo mitia ſtamina Parcae
Neviſſent, ipſos quod ſuperaſſet Avos?
Omnibus erumpunt lachrymarum flumina, paſſim
Tolluntur miſeri ſidera ad alta ſoni.
Omnibus idem ardor, par eſt contentio flendi,
Unus & in laceras impetus ire genas.
Ante alios WEDAEA tamen Gens fulminis ictum
Sentit, & ingentis ſigna doloris habet.
Tota domus ſquallens, dum veſtes induit atras,
Et Generis recolit maxima damna, jacet.

Hei

Hei mihi! quam brevis haec, quam non diuturna voluptas,
Quo mihi tam parvi temporis, inquit, honos?
Atria, quae fuerant modo vix ſatis ampla catervae
Gratanti, ſubito funere clauſa tacent.
Nobile par Fratrum, morientia dum videt ora,
Tam cito ſpes Fratrem deſtituiſſe gemunt.
Non ſuus, Affinis Theſêo pectus amore
Conjunctum tepido vix fovet ipſe ſinu.
Attonitae torpent Fraterna morte Sorores,
Et laniant pavida pectora & ora manu.
Ipſe domûs cladi celſus Dykveldius altae
Ingemit, & largis fletibus ora rigat.
Et, licet indignum, non celat mente dolorem,
Dum videt in gelido corpus inane toro.
Fratris, ait, Soboles, mea ſpes, mea maxima cura,
Siccine Lethaeo mergeris umbra lacu?
Sic tecum fugiunt ſolatia certa ſenectae,
Sic abeunt tecum gaudia cuncta meae?
Tu mihi natorum, mihi quos Natura negavit,
Inſtar, & eximiae poſteritatis eras.
In decus & titulos jam nitebaris Avitos,
Et decus & tituli, Te moriente, cadunt.
Denique Wedaeae complorant omnia Gentis
Membra, nec a gemitu pars vacat ulla domûs.

Et merito. Quis enim tam duro pectore, ſiccis
  Ut tua ſuſtineat fata videre genis?
Flos juvenum periit, Urbs Trajectina, tuorum,
  Quem poteras priſcis aſſimulare Viris.
Corporis ille vigor primis exſtinguitur annis,
  Et nitidi ſpecies, quae fuit, oris abit.
Heu! ubi nunc Candor, Wedaeo in pectore templum
  Qui ſibi ſacrarat, ſimplicitasque? Fuit.
Vultus erat niveae mentis veriſſimus index,
  Nec ſuberant blandis ſubdola ſenſa ſonis.
Non poteras ſpecie ſub amica condere fraudes,
  Non erat ars dubia fallere fronte tuos.
Dicta ſequebatur factum, nemoque repertus,
  Jure ſibi poterat qui data verba queri.
Illud idem de Te teſtantur, Nobilis umbra,
  Seu hoſtis Tibi quis, ſeu quis amicus erat.
Non ergo unius poterit jactura vocari
  Mors Tua, quae tantis eſt comitata malis.
In Te perdidimus plures, & turba bonorum,
  (Non neget hoc livor) Te pereunte, perit.
Nos quoque prae reliquis, Tua quondam cura, Sodales
  Non premimus tacito pectore triſte malum.
Nocte dieque feros, ô Conjunctiſſime, caſus
  Flemus, & in tales ſolvimus ora modos.

Quid

Quid juvat immeritos mors ſolvere ſaeva Sodales,
  Et ſocii numerum diminuiſſe chori?
An bene tam juncti tibi ſunt, ô dura, dolori?
  Invidiamne movet turba puſilla tuam?
Nos modo de multis, quos primum junxerat aevum,
  Aſpice, vix numero treſve duove ſumus.
Nec nos utilitas, nec mos conjunxerat olim,
  Solus amicitiae vincula fecit Amor.
Vera Fides teneris inter nos crevit ab annis,
  Robur & a longo ceperat illa die.
Jurgia felicem turbabant nulla catervam,
  Fida manus, concors & ſine lite fuit.
Quae tibi duritia eſt, quae ſic divellis amantes,
  Parca, nec immites ſcis cohibere manus?
Scilicet imperii tua jura minora fuiſſent,
  Si foret a luctu libera parva cohors.
Nec tua, concordis niſi rapto Principe turbae,
  Terribilis rabies exſatiata foret.
Ergo abit, & veſtro Wedaeus crimine, numquam
  Luminibus noſtris conſpiciendus erit?
Nulla tamen capitis venient oblivia cari,
  AEternumque meo vivet in ore decus.
Mentibus haerebis noſtris, cumque omnibus unus
  Te recolam turmae pars ego parva Tuae.

O noſtrum quondam decus! O mihi dulcius ipſo
  Melle, quod ex verno flore coëgit apis.
Tecum vita fuit ſuaviſſima, acerba futura,
  Te Comitum rapto, gloria prima, meûm.
Cum refero, licuit quos Tecum condere, ſoles,
  Luſibus innumeris innocuiſque jocis.
Cum faciles mores, pectus ſine fraude, recordor;
  Cur ſine me, clamo, magne Sodalis, abis?
Tu requies laſſo, Tu triſti portus amico,
  In mediis aderas promptus ubique malis.
Foedus amicitiae non utilitate colebas,
  Nec poterat cuiquam ſanctior eſſe Fides.
Non ego Te multos cupii vivente ſodales,
  Multorum poteras unus obire vicem.
O mihi ſi facilis vires natura dediſſet,
  Laudibus ingenium ſufficeretque Tuis.
Te canerem, & longis nomen venerabile ſeclis
  Viveret, inviſos effugeretque rogos.
Quid Tibi deberem totus cognoſceret orbis,
  Immemorem nec me diceret ulla dies.
Et ſine Te numquam mihi pagina creſceret ulla,
  Et ſine Wedaeo nomine nulla foret.
Quod ſolum ille Tuus praeſtare valebat amicus,
  Accipe poſtremum, dulcis Amice, Vale.

Accipe pro grato lachrymoſum munere carmen,
  Accipe Burmanni dona ſuprema Tui.
Qui fore ſe Veſtrae, primis ut coepit ab annis,
  Cultorem Gentis tempus in omne vovet.

IN

FUNERE

VIRI

AMPLISSIMI ET NOBILISSIMI

DIDERICI MODAEI

In ſummo Dioeceſeos Ultrajectinae Tribunali
Judicis integerrimi.

Sic quoque Amicorum, mihi te, ſuaviſſime Princeps,
  Subducunt avida fata ſevera manu.
Et medio morti raperis dum flebilis aevo
  Omnibus, aetherea lumina luce carent.

Non ſtudium recti, non cultrix juris & aequi
 Mens Stygias retrahunt, integritaſque Deas.
Si tamen, alma Themis, decoris tibi cura maneret,
 Aut fora ſi velles ſuſpicienda dare.
Non tibi ſufficeret verboſas diſcere leges,
 Tritave rixoſis jura crepare viris.
Sordida quae lucri juvenes tractare cupido
 Incitat, aut demens ambitionis amor.
Sed varia Judex decoraret ab arte tribunal,
 Multiplici ſtudio pectora culta gerens.
Ingenuae ſed honore carent & laudibus artes,
 Muſica nec faſces ſacra decere putant.
Illa relinquuntur ludi contemta magiſtris,
 Vel quibus ignava vita quiete fluit.
Commoda non ſteriles commendant pinguia Muſas,
 Nec modici pretium grande laboris honos.
Sorte tamen meliore tibi Natura, Modaee,
 Ingenii dederat fertilioris opes.
Numen & auſpiciis tibi pectora ditia laetis
 Condiderat triplex; Muſa, Minerva, Themis.
Et populo eripuit quondam generoſior imo
 Impetus, & ſtudii nobilioris opus.
Non dapibus tua ſe mens lautis paſcere ſueta,
 Plebejo poterat ſe ſatiare cibo.

Horrida

Horrida laſſaſſent cum te ſpineta, legebas
  Purpureas horto de meliore roſas.
Antiqui tenebras diſpellere lumine ſecli
  Judicis aſſidui cura laborque fuit.
Implicitos legum nodos divellere poſſe,
  Imperii Latii cognita fata dabant.
Sphinx erat, ambages, & caeci aenigmata juris
  Quae tibi monſtraret ſolvere, certa domi.'
Sancta fides, odii ſtudiique ignara, nec auro,
  Nec prece, nec gravibus mota labansque minis.
Simplicitas, placido gravitas inſignis in ore,
  Mensque ſibi conſtans, propoſitique tenax.
Obſequium faciles tibi conciliabat amicos;
  Aſpera non hoſtes lingua procaxve dabat.
Omnibus ex aequo cadis heu! dilecte Modaee,
  Et dolor ex leto publicus ille tuo.
Quos tibi ſedulitas non officioſa ligabat?
  Quos tua non doctis menſa bonisque patens?
Culta frequentabant Proceres tua limina celſi,
  Turbaque honorabat te ſtudioſa minor.
Prima mihi doctrina gradus ad foedera fecit,
  Te colui juvenem paene, Modaee, puer.
Crevit amor, concorsque fides, creſcentibus annis,
  Nec niſi funeſta vincula rupta nece.

Tu

Tu, mihi fraterno ſociatus amore, ſodalem
  Praebebas ſtudiis officiisque manum.
Quot mihi non tecum ductae ſermonibus horae?
  Quae mihi non doctis veſpera tracta jocis?
Et quoties ſe non, o Cenſor honeſte, ſevero
  Subdidit arbitrio pagina noſtra tuo?
Tu luſus, Diderice, meos, Tu ſeria noras,
  Tu comes & ſtudii dux mihi certus eras.
Carmina non aliter doctis placitura putabam,
  Quam tua ſi noſtrum lima poliſſet opus.
Cui mea jam demto recitabo ſcripta Modaeo?
  Ingenio quis jam norma futura meo?
Te cadit erepto mea vis, & cura fatiſcit;
  Aret, & ingenti vena dolore perit.
Hoc tamen officium pallens tua ſentiat umbra,
  Haec cineres recreent munera ſumma tuos.
Et, ſi carminibus tua gloria creſcere poſſit,
  Poſteritas meritum noſcat ametque tuum.
Nec memori gratum tollant de pectore nomen
  Tempora, quae venient poſt tua fata mihi.

EPI.

EPICEDION

Ad Conſultiſſimum Virum

ANTONIUM VAN RHEE, J. U. D.

De immaturo funere Fratris ſui

GULIELMI VAN RHEE, J. U. D.

Prope Sylvam Ducis in torrente quodam, dum nataret, ſubmerſi.

O Mihi praecipuos inter memorande ſodales,
  Rheji judicio ſemper amande meo.
Ut primum audita eſt crudelis nuncia fati
  Fama, (velim credas) cor mihi triſte fuit.
Dumque paro adflictae ſolatia dicere menti,
  Ingenium luctu concidit omne meum.
Heu heu! dum pulchros GULIELMUS proluit artus,
  Dicitur infeſtis occubuiſſe vadis.
Ille tibi OEbalio devinctus foedere Frater,
  Dimidiumque tui nominis, ille perit!

Non niveus candor, non rarae gratia formae,
  Non potuit pietas hoc prohibere nefas.
Ipſa etiam indignis (ſi qua eſt) quae praeſidet undis,
  Non hoc debuerat ſuſtinuiſſe ſcelus.
Jam (pudet) agnoſco veterum mendacia vatum,
  Flumina qui Nymphis culta fuiſſe canunt.
Hei mihi! ſi veſtro latuiſſet gurgite Nympha,
  Et poſſet turpi numen ineſſe loco;
Non foret infami depreſſus vortice, nulla
  Hoc ſacrum auderet contemeraſſe caput.
Dignus erat Divae, quamvis mortalis, amore,
  Hunc gremio optaſſet Naïs habere ſuo.
Sed neque Tu Fluvius, neque latis nobilis undis,
  Volvis at anguſtas pulverulentus aquas.
Nulla tuis umquam Nymphe ſe lavit in antris,
  Glaucaque limoſis extulit ora vadis.
Æternum Gulielmus erit tibi crimen, iniquum
  Invidiae, Torrens peſſime, funus erit.
Non virides herbae ripas, non arbor obumbret,
  Nec ſit perpetuus perſpicuusque liquor.
Sed ſteriles cingant ulvae, cannaeque paluſtres
  Obſideant fontes, rive cruente, tuos.
Sicca domus tibi ſit, rapidi te, ignobilis unda,
  Diminuant ſoles, & lutulenta fluas.

IN OBITUM VIRI CELEBERRIMI HERMANNI VAN HALEN,

S. Theolog. Doct. & in Academia Ultrajectina Profeſſoris Ordinarii.

QUam tua jam noſtros vincit ſors laeta labores?
  Sidera qui ſcandis, ſub pedibusque teris.
Libera tu poſitis jam carpis gaudia curis,
  Nos dubios mundi caſibus aeſtus agit.
Tollis in aetherias animam ſine corpore ſedes,
  Sarcina membrorum nos oneroſa gravat.
Flemus ad exanimum nos, ſquallida turba, cadaver,
  Tu ducis ſanctos, umbra beata, choros.
Jam tua ſidereis radiantur tempora ſertis,
  Implicat auguſtum ſacra corona caput.
Te ſibi permiſtam, ſine terrae pondere, mentem
  Agmina ſupremi nuncia Regis ovant.

Addite coelicolis hymnos modularis, Haleni,
His celebrans Chriſtum, ſed ſine voce, modis.
Chriſte novae lucis, vitae melioris origo,
Chriſte meae ſortes, deliciaeque meae.
Jam promiſſa diu teneo tua regna, beato
Limine conſiſto, munere, Chriſte, tuo.
O Domus! ô celſi ſpatioſa palatia coeli!
Regnaque ſollicito digna labore peti!
O Patria! ô ſedes, poſt mille pericula, tutae!
Salvete, ô curſus ultima meta mei!
O ſtatio! ô feſſae gratiſſima litora puppi!
Accipe me placido, portus amoene, ſinu.
Quam mihi jam ſordent ſubjectae munera terrae?
Quam mihi jam fluxae deſpiciuntur opes?
Terra vale; non me tua fallax ludet imago
Amplius, aut ſpecies inſidioſa trahet.
Non mea me Conjux, non me mea Filia tangit,
Non revocat patrii, qui fuit, orbis amor.
Non tua, Trajectum, me templa, nec ampla Lycei
Atria, quae quondam grata fuere, movent.
Non lacrimae pacem percuſſaque pectora rumpunt,
Non turbant requiem murmura moeſta meam.
Non vacat excelſis humiles audire querelas,
Nil quod agam ſupereſt, praeter amare Deum.

Quod

Quod ſupereſt, ſublimis ago novus incola coeli,
  Quique mihi Chriſtus gaudia fecit, amo.
Spiritus, effracto qui carcere corporis exit,
  Pura Dei pulſa numina nocte videt.
Jam mihi panduntur penetralia, credita quondam,
  Tectaque terrigenis mens mea ſacra videt.
Jam mihi Simplicitas Triplex apparet, in Uno
  Divinam intueor vim, ſine nube, Trium.
Te ſine fine, novis afflas qui pectora flammis
  Spiritus, & ſummo cum Patre, Chriſte, canam.

EPICEDIUM

IN IMMATURAM MORTEM

Clariſſimi Juvenis, ſodalis deſideratiſſimi

THEODORI GEORGII GRAEVII, JOH. GEORG. FIL.

Cum paullo ante literas humaniores in ACADEMIA TRAJECTINA interpretandi Provincia ei eſſet mandata.

FLete piae Muſae, lugubres flete Camenae,
  Et tu promiſſis moeſta Elegeia comis.
Abjice de myrto nexas confuſa coronas,
  Jam tibi pro myrto dira Cypreſſus erit.
Graevius occubuit, miſerabile concine carmen,
  Concinuit lacerum ceu pia Mater Ityn.
Graevius in nomen ſurgens tituloſque Parentis,
  Deliciae Phoebi, Caſtalidumque decus,

Triſte

Triſte jacet funus: fletus quis temperet ore?
  Et lachrimas madidis non ſinat ire genis?
Moeſta domus tota eſt, lugent ſua fata ſorores,
  Et cum Matre pia flet ſua damna Pater.
Quo fugis, exclamat, quid me, THEODORE, relinquis?
  Gloria quo maeſti nate parentis abis?
Cur ego fatorum verſo ſuper ordine reſto?
  Cur tibi vivendi tam cito finis adeſt?
At vos Pierides (nam veſtrûm grata putamur
  Cura) ſacerdoti ferre decebat opem.
Quique tuas coluit quondam non degener artes,
  Debuit ille tua vivere, Phoebe, manu.
Hei mihi! nequicquam medicas te poſcimus artes,
  Telaque plus Mortis, quam tua dextra valent.
Hoc ego ſperabam (nam ſpes erat unica Patris)
  Leniri ſenii taedia poſſe mei,
Spes mea caſſa jacet, viridi mihi raptus in aevo
  Filius heu! vixit, qui mihi ſolus erat.
At tu parce, precor, lachrimis, & comprime fletus,
  Magne Vir, & forti pectore perfer onus.
Corpus inane jacet, mens immortalis in altas,
  Quas ſemper cupiit, evolat uſque domos.
Oſſa premit tellus, cinerique immergitur atro
  Filius, at numeris additur ille piis.

Ora

Ora ſilent, toties doctis reſerata loquelis,
Sed tamen aeternum nomen honosque manent.
Donec honos ſtudiis, docto lugebitur orbe
GRAEVIUS, & memori vivet in ore virûm.
Nec tamen hic ſolum te luctus tangit, ad omnes
(En hominum vultus) pertinet iſte dolor.
Nullis ille bonis indeploratus, iniqui
Exequiis populus funeris omnis adeſt.
Vos quoque defuncto chariſſima turba ſodales,
(In quibus heu! nuper pars ego magna fui)
Nam commilitii jungebant ſacra, fuitque
Dum licuit, noſtri gloria prima chori,
Erepti tumulo varios infundite flores,
Sertaque de lachrimis humida ferte piis.

IN

IN OBITUM

VIRI CELEBERRIMI

JOANNIS GEORGII GRAEVII,

Magnae Britanniae Regis Hiſtorici, Politices, Hiſtoriarum & Eloquentiae in Acad. Ultraject. Profeſſoris Ordinarii, defuncti Anno MDCCIII.

GRAEVIUS ergo fuit! celerique ferociter ictu
Stamina fatales deſecuere Deae.
Membra ſtupent, ſubito reſolutis languida nervis,
Oraque mortifero ſidere tacta ſilent.
Ora ſilent, Pylioque Viri quae melle fluebat,
Icta velut rapido fulmine, lingua riget.
O funeſta dies, tenebriſque infauſtior atris,
Aeternum faſtis nigra notanda dies.
Cum tua moeſta redit (ſemperque redibit) imago,
Nunc quoque perpetuis fletibus ora madent.
Cernere convivam, dextraeque innectere dextram
Sperabat vanis mens mea luſa modis.

Jam veniet cupidis, dicebam, magnus amicis
  Graevius, & nobis fercula docta feret.
Jam ſuavi ſermone diem producet, & inter
  Sobria condetur veſpera vina jocis.
Dum loquor, atque moras jam non fero longius illas,
  Turbantur ſubito gaudia noſtra malo.
Deſine jucundum, confuſus nuntius inquit,
  Deſine feſtivum, Petre, manere Senem.
Strata repentino torpet mens ſanguinis ictu;
  Concidit, ad veſtram dum parat ire domum.
Compita confuſo reſonant ululata tumultu,
  Murmura funerei carminis inſtar habent.
Trajectum gemitu impletur, turbataque ſe non
  Invenit, & luctum non capit aegra ſuum.
Exit amicorum, ſtrepitu commota, penates
  Turba, nec admiſſo plangere teſte pudet.
Invidiamque facit coelo, fatoque rapaci,
  Vixque putat curam Numinis eſſe bonos.
Obrigui, gelidumque ſtetit ſine ſanguine pectus,
  Nec lacrimas oculi, verba nec ora dabant.
Filius haud aliter, necopino funere Patris,
  Cujus in amplexus jam cupit ire, ſtupet.
Deficit ad famam ſic conjugis uxor ademti,
  Quem putat ad ſocium jam properare torum.

Sicut

Sicut eram, egredior tectis, ſimilisque furenti
  Carpo viam, ut Bromio concita Baccha Deo.
Sed fruſtra propero: morituro membra rigebant,
  Lingua dabat nullas mentis, ut ante, notas.
Pallebant graciles, detracto ſanguine, venae;
  Nullus erat, vita jam fugiente, color.
Lumina, perpetuis poſthac damnata tenebris,
  Praevia condebat mortis opaca quies.
Hei mihi, quae facies, quis circumſtantibus horror!
  Quid conſternato tum mihi mentis erat?
Sedula praeſcriptas non dextera miſcuit herbas,
  Praebuit aut ſuccos officioſa manus.
Aegra ſalutifero lenimine membra fovere,
  Nec potui ad triſtem pervigilare torum.
Ultima non licuit cari mandata Magiſtri
  Excipere, & madidis verba ſuprema genis.
Non oculos licuit vicina morte madentes
  Claudere, non fida fingere membra manu.
Oſcula non gelidis repetita infigere labris,
  Non fugientem animam ſuſcipere ore pio.
Non licuit, gemitu medias rumpente querelas,
  Dicere, in aeternum, Gloria noſtra, vale.
Si mea ceſſavit pietas, ignoſcite manes,
  Aſpera vis fati, non mea culpa, fuit.

Ne tamen officium tua nunc deſideret umbra,
  Manibus inferias, quas licet, ecce fero.
Nec tumulum nexis mihi mens ornare corollis,
  Turea nec tepido mittere dona rogo.
Non ego relliquias vino fragrante, ſed, udis
  Qui cadit ex oculis, imbre lavare volo.
Carmina cum lacrimis do, veri ſigna doloris,
  Carmina non artis, ſed pietatis opus.
Teſtor honoratam, cineres quae continet, urnam,
  Oſſaque, de buſto quae ſuper una tuo.
Numina, confectae quae mentis conſcia, teſtor,
  Funere non alio me doluiſſe magis.
Non mihi cum primis Pater eriperetur in annis,
  Non tegeret Fratris cum lapis oſſa mei.
Omnis enim periit mea, te pereunte, voluptas,
  Condita ſunt tumulo gaudia noſtra tuo.
Et ſtudia & Muſae, quae, te vivente, placebant,
  Incipiunt veſtra morte placere minus.
Auſpicio, quod dulce dabas, ductuque ſecundo,
  Ibat in Aonium noſtra Camena nemus.
Nunc duce deſtituor, certum nunc occidit aſtrum,
  Per freta quod fidum caeca regebat iter.
Jactor, ut excusſo quae tempeſtate magiſtro
  Jactatur dubiis naufraga puppis aquis.

O Pater!

O Pater! ô noſtrae decus & tutela juventae!
Unica ſpes ſtudiis praeſidiumque meis.
Siccine Diſcipulum, ſic carum linquis alumnum?
Mene fugis, veſtrum, magne Magiſter, opus?
Sed quid ego haec, proprio turbatus triſtia damno
Verba cano, querulis aſſociata modis?
Publica communem moveat jactura dolorem,
Qua patet, in lacrimas, ſic decet, Orbis eat.
Confluat ex terris huc omnibus agmen amicum,
Ut faciat tanto triſtia juſta Viro.
Galle, precor, poſita rabie paulisper & ira,
Exiguo Batavis tempore mitis ades.
Flebimus alternis, lacrimas miſcebimus una,
Solaque de luctûs pugna futura modo.
Sit licet ille ferox, veniet tibi junctus, & arma
Ponet, ut exequias ducat inermis, Iber.
Squallidus Auſoniae flebit telluris alumnus,
Tuſcia Muſarum flebit honora domus.
Inclyta ſeptena ſuſpiria mittet ab arce
Roma, per Alpini frigora longa jugi.
Fundet in Oceanum, noſtris advolvat ut oris,
Turbatam Tameſis fletibus aeger aquam.
Flumina Parrhaſiâ, glacie concreta, ſub Arcto
Nunc primum tepido ſaucia rore fluent.

Ipſe pruinoſo Boreas plorabit ab axe,
  Per Scythicas curret nix liquefacta genas.
Una tamen vinces cunctos, Germania, planctus,
  Moeſtitiam ingenti faſſa ſtupore tuam.
Nec tua damna queri, dum ſummum perdis honorem,
  Nec poteris, nimio fracta dolore, loqui.
Vos quoque, ne pudeat mortales, fundite fletus
  Ad tumulum ſancti, Dique Deaeque, Senis.
Atria Caſtalidum, ſacrataque templa Camenis,
  Quaeque praees doctis, docta Minerva, viris.
Quique novem ducis, Latoïë Phoebe, Sorores,
  Et Venus, & Charitum turba venuſta trium,
Tollite concordes ad Graevî funera queſtus,
  Moeſtaque funeſto dicite verba die.
Nec modus ingenti, nec ſit lex ulla dolori,
  Nec minuat fletus temporis ulla mora.
Saepe quidem ſacris vates abſtraxit ab aris
  Invida Pierio mors & iniqua choro.
Saepe tamen lacrimis, quas vis inopina movebat,
  Succeſſor poſuit, doctus & ipſe, modum.
Nunc quis, Phoebe, tui pandet ſacraria templi?
  Quis tua ſacra pari relligione colet?
Phoebe, tot amiſſos quis jam tibi reddet honores?
  Flebile qui damnum nunc reparabit, ubi eſt?

Una

Una dies Graevî ſine ſanguine corpus, & artes
  Contumulat, fato quae cecidere pari.
Quid tibi nunc animi, quae ſpes ſuper ulla, peremto,
  Quae tibi, Trajectum, gloria ſola, Viro?
Cujus ad adventum ſchola ſe tua credidit ortam,
  Jamque dolet triſtes mortis obire vices.
Nec tibi mendaces haec dicere, crede, Poëtas,
  Omnibus hunc ſenſum Gentibus eſſe, puta.
Fama per extremas tua, Graevî munere, gentes
  Sparſa fuit, muris ante retenta tuis.
Orbe quod Heſperio, quod ſit tibi nomen Eoo,
  Quod tuus implevit rumor utrumque polum.
Graevius una tui laus non moritura Lycei,
  Hoc decus, hoc ingens nomen habere dedit.
Advena quod veſtram multus properabat in urbem,
  Cauſa fuit longae Graevius una viae.
Quod tua Principibus fervebant atria celſis,
  (Non levis hinc veſtrae fama parata ſcholae)
Quod Regum ſoboles, quod nata parentibus altis
  Progenies venit tam numeroſa tibi,
Maxima civilis prudentia praebuit artis,
  Et decus Artificis nobilitasque dedit.
Flecteret ut quondam Regni ſapienter habenas,
  Diſceret & Princeps Regia jura tener;

Unica

Unica nectareae monſtrabat gratia linguae,
Plenaque praeceptis pectora docta Senis.
Praeteriens quoties jam moenia veſtra viator,
Non libet hac, dicet, nectere in urbe moras.
Non ego Daedaleis exſtructa palatia dextris,
Nec ſtupeo turres, urbs modo clara, tuas.
Laeta ſuburbani non me viridaria ruris,
Non nemus, aut liquidae gratia tangit aquae.
Incola non comis, non purior aetheris aura,
Virgo nec incoeptum pulchra moratur iter.
Dos tua, Trajectum, qua gentibus ante placebas,
Graevius, heu! mortis ſaeva rapina, perît.
Quemque peregrinis unum monſtrare ſolebas,
Occidit, heu fati ſors miſeranda tui!
Una viatori reſtabit forte videndi
Cauſſa tui, ſed & haec cauſſa doloris erit,
Ut fleat ad cineres communis & oſſa Magiſtri,
Et legat: HIC SITUS EST GRAEVIUS, ORBIS AMOR.
Sed pudor! Obſcura requieſcit corpus arena,
Juſtaque nec pietas ſcit ſua ſolvat ubi.
Erige, Trajectum, monumentum grata perenne,
Buſtaque fac titulo conſpicienda brevi.
Nam licet exiguo ſignetur carmine marmor,
Et referat Graevî nomina nuda lapis;

Saxa

Saxa tamen vincet Mauſoli, Aegyptia vincet
  Pondera, & Aſſyrii nobile Regis opus.
Nam plus Rege tegit. Regum monumenta peribunt;
  Graevius, hac mundi mole cadente, cadet.

E L E G I A

IN OBITU

VIRI ELOQUENTISSIMI ET DOCTISSIMI

PETRI FRANCII.

DEFUNCTI D. XIX. AUG. CIƆIƆCCIV.

ERgone funeribus cumulantur funera, docti
  Et pereunt, quamvis turba puſilla, viri?
Deſtituit miſeras modo princeps GRAEVIUS artes,
  Et ſecum innumeras contumulavit opes.
Vix duo treſve manent, Batavo qui litore poſſent
  Ingenii profugas dote tenere deas.
Ecce premit ſacrum, poſt tanti vulneris ictum,
  Amſtelii vatis mors necopina caput.

Francius Amſteliae celeberrimus urbis alumnus,
  Jam cinis & magni nominis umbra, cadit.
O ſtudiis inimica lues! ô neſcia magnis
  Parcere, nec Clario Parca benigna choro!
Si ſedet ingenuas delere crociter artes,
  Et decus hoc Batavo tollere rure placet,
Non operoſus erit de docta gente triumphus,
  Barbaries, paucos ſi modo ſternis, erit.
Ibit in antiquum, ſi vis, gens noſtra ſtuporem,
  Et veniet, rudibus qui fuit, horror, avis.
Si tamen innocui tam dira cupido cruoris,
  Quid juvat inſignes tollere laude viros?
Sunt animae viles, Phoebi, ſine nomine, lixae,
  Et qui non docti, ſed tamen eſſe volunt.
His poteras dextram raptis ſatiare cruentam:
  Nam dolor ad doctum non facit ille gregem.
Perdimus hoc ſolo, ſi neſcis, funere plures,
  Et gravis ex uno vulnere noxa venit.
Carmine nam Batavis referebat ſaepe Maronem,
  Cum caneret magnis bella tremenda modis.
Reddebat teneros Peligni Vatis amores,
  Alterno faciens carmina fracta pede.
Et poterat leges numeroſi implere Poëtae,
  Pindaricae tractans plectra ſonora lyrae.

Aequa-

Aequabatque tuos, quo Bilbilis alta ſuperbis,
  Ingenio ludos, ſive Catulle tuos.
Saepe Syracoſia tenuabat arundine carmen,
  Nec Siculi vatis gloria major erat.
Nec minor eloquii, qua pectora lenta moveret,
  Vis erat, & culti non minor oris honos.
Nam modo vibrabat rapidi Demoſthenis arma,
  Grandia vel Tulli verba tonabat ovans.
Heu! quoties ſtupuit mirandae fulmina linguae,
  Amſtela; & artifices horruit Ya manus?
Mellea vox quoties duriſſima pectora mulſit?
  Nectareum quoties fluxit ab ore melos?
O! bona quot tecum perierunt, optime Franci,
  Quot tecum dotes in tua buſta trahis?
Plangite, confuſos & ad aethera tollite fletus,
  Nota quibus linguae gratia tanta fuit.
Tu tamen ante alios, Patriae lux maxima noſtrae,
  Amſtela, turbatas anxia ſcinde comas.
Intulit Auſonium patriam qui primus in urbem
  Carmen, Apollinei fama laboris, obit.
Grande decus veſtrae jam Francius occidit urbis,
  Exequias magno, ſic decet, ite viro.
Amſtela quae geminis mòdo laudabare Poëtis,
  Dimidium rarae jam tibi laudis abeſt.

Eſt tibi, ſitque diu, ſi Dîs modo cura Camenae,
  Broukhusius, bifidi ſplendor honosque jugi.
Unica, Broukhusius, jam veſtrae gloria terrae,
  Verſibus Amſtelium nomen in aſtra feret.
Hujus ab ingenio ſit fama perennior, & quae,
  Non niſi doctrinae laude cadente, cadat.
Hic faciet, quaerat ne doctum urbs veſtra Poëtam,
  Inſtar & amborum, ſi modo vivat, erit.
Hic feret in cari pia munera buſta ſodalis,
  Ad tumulum flentis dux erit ille Chori.
Vos quoque ſeceſſus, Trajectinaeque latebrae,
  Grataque Palladiis otia noſtra viris,
Heemſtediique hilares frondes, genialiaque arva,
  Villaque, quae Francî carmine nomen habes,
Fletibus Amſteliis lacrimas confundite veſtras,
  Nec minor ex tanto funere luctus eat.
Quam cupide veſtras celebrabat Francius umbras?
  Quam tulit & retulit laeta per arva gradum?
Me quoties pictos ſpatians comitante per hortos,
  Culta vireta ſtupens, hos dedit ore ſonos.
Has mihi ſi ſedes juveni Fortuna dediſſet,
  Et cineres tellus conderet iſta meos!
Denique ſi noſtras his fas miſcere querelas,
  Et liceat vates inter habere locum;

Acci-

Accipite, ô dulces quondam, mea munera, manes,
  Quae tibi, turbata mente, ſuprema fero.
Tu tenerae primus moviſti ſemina mentis,
  Crevit ad exemplum noſtra Camena tuum.
Te duce, facundi patuere ſacraria Phoebi,
  Tu mihi Pierii carminis auctor eras.
Te colui facilem, dum ferrent fata, magiſtrum,
  Et tibi noſtra fuit ſaepe probata fides.
Nunc quoque ſervabo memori ſub pectore nomen,
  Dulcius Hyblaeo quod mihi melle fuit.

IN OBITUM VIRI OPTIMI ET

POËTARUM SUI TEMPORIS PRINCIPIS

JANI BROUKHUSII,

DEFUNCTI AD D. XVIII. KAL. JANUARIAS AN. MDCCCVIII.

TU quoque, BROUKHUSI, Latiae laus ultima Muſae,
  Triſtia praecipiti funere damna novas.
Nec tibi canentis licuit longaeva ſenectae
  Tempora, nec ſeros, JANE, videre dies.
Scilicet aſſiduo merces ea certa labori,
  Et pretium ſtudiis mors properata venit.
Protrahit ignavus ſocordis tempora vitae,
  Nec, niſi deficiat, deſidioſus obit.
Opprimit Aonios leti vis ſaeva Poëtas,
  Et, qui debuerant vincere fata, cadunt.

Per-

Pervigil abſumit florentem cura juventam,
  Vixque virum credas, quem patet eſſe ſenem.
Sed tamen hoc melius, pecudum quam more fugacis
  Temporis ignavas conteruiſſe moras.
Gloria ſollicitae reparat diſpendia vitae.
  Famaque poſt cineres magna venire ſolet.
Quid juvat, infelix, lento torpere veterno,
  Et, male quam perdas, lucis amore trahi?
Vivere, non morti ſimilem producere vitam,
  Convenit, & vitae non ſupereſſe ſuae.
Tu bene diſpoſiti moreris tibi conſcius aevi,
  Jane, nec anguſtos plangis abiſſe dies.
Martius abripuit juvenilia pectora fervor,
  Dum pia pro patria dextera bella movet.
Milite te, Batavus de Franco Rege tropaea
  Fixit, & hoſtiles ſtravit ovator opes.
Teſtis erit tumidis agitatum fluctibus aequor,
  Teſtis erit Morini ripa ſuprema ſoli.
Teſtis erit, tacito quae pinguia murmure lambit
  Arva, racemiferis cincta, Moſella, jugis.
Nec tamen interea ceſſabat Apollinis ardor,
  Quaerenti gemina Palladis arte decus.
Saepe ſedens tenues inflabas puppe cicutas,
  Dulcia Arionio carmina more canens.

Inſo-

Inſolitos mirata modos ludebat in undis
  Tethys, & adnabat, rapta ſonore, rati.
Caerulea numeros ſtupuerunt Doride natae,
  Conchaque de glauci decidit ore Senis.
Nec minor in Trevirum rapuit te ſpiritus oris,
  Dum tractas Clariae plectra ſonora lyrae.
Dextera, poſt aciem, ferrum laſſata tenendo,
  Verſabat, poſito mitior enſe, ſtylum.
In fera bellatrix cum Pallas miſerat arma,
  Cinxerat & meritae frondis honore caput;
Suavia dictabat reduci Dea carmina vati
  Mollior, & cultos Muſa benigna modos.
Sic pede cantabat bellorum dura minaci
  Lesbius, Aeoliae gloria prima lyrae.
Talis erat lituos inter ſtrepitusque virorum
  Ennius, Alcidae Pïëridumque decus.
Talis erat teneri quondam deſertor Amoris,
  Dum ſequitur doctus caſtra Quirina, Macer.
Talis, Hyperboreum dum ludit miles ad axem,
  Lotichius lauro duplice cinctus erat.
Talis erat ſtudii conſors durique laboris
  Bergius, intonſi cura ſecunda Dei.
Sed bene! ſub galea quod non Tritonia ſemper
  Eſſe caput paſſa eſt, nec latus enſe tegi.

Ab-

Abjice, BROUKHUSI, dixit Dea lenior, haſtam,
Fer calamum; dextrae convenit ille tuae.
Pendeat emeritus Gradivi poſtibus enſis,
Et teneat citharam, quae tulit arma, manus.
Nonne vides placidae quae ſint bona commoda pacis?
Bellaque quam ſtudiis ſint inimica tuis?
Arripe ſeceſſus, & dulci plena quiete
Otia, quae ſpondet patria grata tibi.
Accipe, quae ſtudiis Proceres dent commoda doctis,
Suſcipe militiae proſperioris opus.
Errores finire vagos, & taedia Martis
Ponere, mutata conditione, licet.
Signa ſuburbanum de campo transfer in hortum,
Caſtraque felici pone quieta loco.
Hic tibi Pauſilypum, qualem Syncerus amavit,
Angulus, & tempe Parthenopaea dabit.
Jam vacet Amſtelia lentum recubare ſub umbra,
Blandaque in alternos cogere verba modos.
Te tua caeruleis invitat Delia ocellis,
Te vocat in niveum cara Neaera ſinum.
Te tuus implorat, lacerata, Propertius, ora
Qui gemit, & multo ſquallida membra ſitu.
Cynthia carminibus vix ſe cognoſcit in iſtis,
Et rogat officium, labe notata, tuum.

Adjuvat, en, miſerae Nemeſis pia vota puellae,
  Utque parem tribuas, utraque poſcit, opem.
Nec mora, jam patriam properat modo miles in urbem,
  Et fera in aeternum bella valere jubet.
Palladis ad placidae ſuccingitur impiger artes,
  Armaque, quae nullo tempore ponat, amat.
Jam ſtudiis reliquum, quodcumque eſt, dedicat aevi,
  Et capit arcani gaudia liber agri.
Quas tibi non grates, quas non dabit, Amſtela, laudes?
  Quo non Piërius tollet honore chorus?
Amſtela, praeſidium neglectis dulce Camenis,
  Amſtela, Phoebeis portus & ara viris.
Quas tibi divitias lucri Deus aliger infert,
  Vatibus has doctis munera grata refers.
Laſſa refoviſti tu ſacri pectora civis:
  Hinc tibi perpetuum nomen honosque manet.
Nec tibi, quod tenuem juvit tua gratia Flaccum,
  Majus erit, Tuſcis regibus orte, decus.
Sed tibi quid mentis, quid nunc erit, Amſtela, ſenſus?
  Funera quae Vatum tam prope juncta doles.
Quae poteras nuper geminos jactare Poëtas,
  Patria quîs ſimiles non habet, orba taces.
Francius, Auſonium patriam qui primus in urbem
  Carmen, & ex Tiberi ſacra Latina tulit,

Fran-

Francius ille fuit, medio tibi raptus in aevo,
  Oraque Neſtoreo nectare foeta ſilent.
Ultima jam moritur Clariae Broukhusius artis
  Gloria, nec, reparet qui tibi damna, manet.
Nam, ne vana tuam ludat ſpes, Amſtela, mentem,
  Illa tibi, Jano, fama, cadente, perit.
Tu quoque, jacturam penſet quod, Belgica, tantam,
  Fertile vapparum parce referre genus.
Nec mihi qui ſuperant, media de plebe, Poëtas
  Objice; nam numerus taedia jure movet.
Turba quid adfectas ſacram conſcendere Pindum?
  Non capit inſanam vim ſacer ille locus.
Phoebus amat paucos, & raros eſſe Poëtas
  Gloria divini carminis ipſa jubet.
Quis, niſi ſit fatuus, flentes miſerabile Muſas,
  Raucaque balborum murmura ferre poteſt?
O, pereant Mopſi, pereant mala monſtra Vacerrae!
  Monſtra tua quondam, Jane, ſubacta manu.
Ingenium mihi, Jane, tuum faſtidia movit,
  Ne Bavios poſſim ſtultus amare rudes.
Nec mea, ſueta tuis mulceri cantibus, auris
  Arcadiis didicit lenta favere ſonis.
Omnia, te lecto, ſpurcatis illita chartis,
  Ne placeant, venae vis facit illa tuae.

Nec tamen hac ſola nobis, Vir magne, placebas
  Dote, nec ingenii nomine carus eras.
Carmina non tantum, quamvis quoque grata, probabam,
  Quam tibi quod fuerit non ſimulatus amor.
Tu ſtudia in mores paſſus tranſire modeſtos,
  Arſque fuit vitae fida miniſtra tuae.
Caſta fides, & temporibus rariſſima noſtris
  Simplicitas, & mens neſcia fraudis erat.
Si quid, ut eſſe ſolet, primis admiſeris annis,
  Poenituit; pietas eluit omne nefas.
Abſtulit integritas vitae commiſſa prioris,
  Crimina delevit relligionis amor.
Verſus ab Auſoniis ad ſacra volumina ſcriptis
  It labor, & Chriſtum quaerere ſummus amor.
Saepe dolens alto ſuſpiria corde trahebas,
  Saepe Deum viſus voce movere pia.
Nec tibi, quae vana eſt, meriti fiducia falſi
  Spem dabat aetherio poſſe favore frui.
Sanguis erat Chriſti, Solyma qui fuſus arena,
  Spondebat facilem ſontibus eſſe Deum.
Vita videbatur, placato numine, longa;
  Morſque tibi magni muneris inſtar erat.
Brachia tendenti jam mens occurrere Chriſto
  Flagrabat, ſponſi tacta calore ſui.

Spi-

Spiritus haec inter tenues excedit in auras
  Vota, ſalutiferi preſſus amore Dei.
Haec ſolet eſſe piis mors actae congrua vitae,
  Exitus hic ſanctis vatibus eſſe ſolet.
Italico laceret viventes more Poëtas .
  Impia vipereo lingua cruore tumens .]
Si modo tam pura moriantur mente Poëtae,
  Et bona tam rectum palma coronet iter.
Non mihi mendaces, ſpecie pietatis amicti,
  Quae ſimulat cultum, non mihi ſcena placet.
Nil mihi vobiſcum eſt, fucati turba choragi,
  Fallere non homines, non ego quaero Deum.
O utinam! cum ſumma dies mihi venerit, aequa
  Sorte mihi tecum ſit, bone Jane, mori!
Sic mihi praeteritas tecum detergere labes,
  Sic liceat vera pœnituiſſe fide.
Sic liceat tecum ſedes habitare beatas,
  Numinis adſpectu ſic propiore frui.
Non tibi in Elyſiis illuſtres vallibus umbras,
  Obvia nec faciam triſtia ſpectra tibi.
Non tibi facundi ſimulacra venire Properti,
  Cynthia nec, fingam, quae tibi verba ferat.
Non Nemeſis pretium quod grata mente rependat,
  Nec referam amplexus, culte Tibulle, tuos.

His procul aeterna damnatis morte remotus
Vivis, in excelſi parte recepte poli.
Te chorus excepit, Chriſto ducente, piorum,
Puraque te blanda duxit in aſtra manu.
Jam nova, coeleſti quae formas carmina mente,
Largius e vena fertiliore fluunt.
Jam tua corporeae mens libera pondere molis,
Principium vitae laeta perennis agit.
JANE vale, quem cura pii non tangit amici
Amplius, aeternum, JANE beate, vale.

MANIUM SCHERMERIANORUM PROCURATIO.

AEmula Vondeliae Schermeria vena Camenae,
  Et patrio magnum carmine nacta decus.
Jam Batavo ingenii ſpondebat ditia Phoebo
  Flumina, & ingentes nobilis artis opes.
Atra ſed, heu facinus! ſpes mors intercipit amplas,
  Et perit in primo flore caduca ſeges.
Nec mors una ſacro vati, nec funus acerbum
  Sufficit, ut poſito molliter oſſa cubent.
Conſpirant Latiae nam bina opprobria linguae,
  Ut numeris onerent buſta quieta malis.
Zurckius infando pallentem territat umbram
  Murmure, vipereus quod tremit ipſe canis.
Barbara ludibrium nec fundere carmina cleri
  Melchior, & cineres ſollicitare timet.
Viveret o utinam poſt tot modo vulnera vates,
  Et Stygium biberent haec duo monſtra lacum!

PETRI BURMANNI POËMATUM LIBER QUARTUS.

IN QUO MISCELLANEA

[library stamp]

NAMURCA AUSPICIIS ET DUCTU GULIELMI III. EXPUGNATA.

DIcite Iö Reges, & dicite fœdere junƈti,
  Incidit in veſtras capta Namurca manus;
Nunc demum fraƈto veſtris, Rex Maxime, Gallo
  Auſpiciis, pulcher jure triumphus eat?
Huc ades, ô niveis gaudens Viƈtoria pennis!
  Et lauru ſacras candida cinge comas.

Laus

Laus ubi nunc, Ludovice, tua eſt? ubi gloria? Noſtro
  Quae merito dudum ſub Duce caſſa jacet?
Nunc opus eſt animo, nunc O Fortiſſime! pugna,
  Materiem laudi Rex dabit iſte tuae.
Te poſcit (Te namque decet contendere) Regem,
  Quem ſuperet, fortem Vir petit ille Virum.
Detrectas, Martiſque feri te terret imago?
  Quique ſoles ſemper fallere, bella fugis?
Cur latitas, campoque times te credere aperto?
  Fraus ubi nil prodeſt, nil dolus arſque juvant?
Impia vaſtavit miſeros tua dextra penates,
  Ignibus & flammis templa domoſque dedit.
Cumque viros nequeas ſuperare, in maenia ſaevis,
  Agnoſcuntque tuam tecta lareſque manum.
Dic ubi nunc virtus? ubi ſunt tua fortia facta?
  Quae disjecta tuo moenia Marte refers?
Tutius eſt pretio, quam vi pugnare, nec unquam
  Fulmineis telis expoſuiſſe caput.
Sic Dixmuda tuo ceſſit feliciter auro,
  Quaeque nequis armis cogere, cautus emis.
Hinc Tibi Palladii ſordent, Mercator, honores,
  Mercurii lauros & petis arte novas.
Haec tua militia eſt, ſic tu ſine ſanguine pugnas,
  Hoſtibus inſidiis his metuendus eris.

Egregium exemplum Ducibus, Dux maxime, praebes,
  Turpe latrocinium te Duce miles agit.
I nunc & merito Magni tibi nomen adopta,
  Non virtus titulis eſt minor illa tuis.
Sed tibi ſubſident faſtus, pacemque, ſuperbe
  Quam jactas aliis ante dediſſe, petes.
Auguror en! venies ſupplex, dubiuſque ſalutis
  Ad noſtros pones arma cruenta pedes.
Ultor adeſt, Vindexque piis Gulielmus in armis
  Diffringet vires, Marte favente, tuas.
Non Hic foemineis, ut tu Laſcive, cathedris
  Aſſidet, ignavus non fovet ille torum.
Caſtra colit, Ducibuſque ſuis animoſior, Ipſe
  Munera militiae pulverulentus obit.
Ille mori certos primus prorumpit in hoſtes,
  Ultimus ex acie, nec niſi Victor, abit.
Vicit Iö, patriaſque redit Mars noſter in urbes,
  Captivoſque trahit noſtra per ora Duces.
Undique collucent laetis altaria flammis,
  Et laſſat gratas victima crebra manus.
Obvia turba ruit, longique oblita doloris,
  Quae pia ſuſcepit, reddere vota ſtudet.
Implicat en! reduces victrici fronde capillos,
  Spargit & innumeras Regis in ora roſas.

De-

Deponit veſtes, quas nuper ſumpſerat, atras,
  Cum nimis ah! juſto fracta dolore fuit.
Et Mariam in ſolo Reginam amplexa Marito,
  Gaudet in Unius corpore amare duos.
Quoſque dies Illi crudelia fata negarunt,
  Hos petit adjiciant ut, Gulielme, tuis.
Ut tua cum longa felicia pace perennent
  Regna; rogat pronos ad ſua vota Deos.
O utinam poſitis aevum miteſceret armis!
  Et redeant noſtro ſaecula priſca ſolo!
Pax, precor, alma veni, laetis redimita capillos
  Frondibus, & noſtros, alba, reviſe lares.
Tuque o ſpes Batavûm, Gentis ſpes una Britannae,
  Da nobis pacis munere poſſe frui.
Maxima bellando tibi laus, Rex inclyte, parta eſt,
  Nec tua quam bello gloria pace minor.
Jam tibi pacatus totum ſe debeat orbis,
  Horreat & nomen Gallia terra Tuum.
Gallia ſubmittat tibi, Victor, colla, feratque
  Vincula captivâ, qua tulit arma, manu.

Aº. CIƆIƆCXCV.

PAX
ET
LIBERTAS.

Aurea, quae Batavum Libertas protegis orbem,
Dulce decus patriae, praeſidiumque meae.
O utinam! poſitis tandem feliciter armis,
Te liceat totâ, Diva beata, frui.
Parte Tui meliore, furunt dum bella, caremus,
Dumque ferus toto regnat in orbe Deus.
Jam ſatis humano ſaturatus ſanguine Mavors
In Scythicos, poſita cuſpide, tendat agros.
Laſſus in Ismario ſedes ſibi collocet Haemo,
Et juga Riphaeo frigore cana colat.
Tu quoque de noſtris abeas, feralis Enyo,
Finibus, indomitis Diva colenda Getis.
Nos Dea pacato melior, Pax, reſpice vultu,
Pax toties votis ſollicitata piis.
Si redeas, collapſa tibi ſacraria Belgae
Reſtituent, priſci quae poſuere patres.

Templa tibi Pario de marmore ſurgere cernes,
Et tua per terras numina ſola coli:
Nunc ſine Te ſquallent, caeſis cultoribus, arva,
Et, gregibus raptis, paſcua nuda vacant.
Quae ſibi condiderat granaria parcus arator
Diripit, & praedam miles acerbus agit.
Non ſuperant, raptas reparet queis, ſemina, meſſes
Agricola, aut duram qua levet, eſca, famem.
Qui patrios nuper felix vertebat agellos,
Jam petit arenti ruſticus ore cibum.
At patris è feſſo pendent, miſerabile! collo
Pignora, vicina pallida morte genas.
Aegra, ferens uterum, greſſus vix conjugis aequans,
Nititur in triviis ponere mater onus.
Sed perit in medio miſeranda puerpera niſu,
Et puer infelix, vix bene natus, obit.
Nec minor exhauſtas fati vis opprimit urbes,
Aut meliora miſer tempora civis agit.
Quocumque aſpicias, ſine luctu nullus acerbo
Angulus, & lacrimas obvia quaeque movent.
Volvitur e domibus vaſtis ad ſidera fumus
Rarior, & multus friget in urbe focus.
Incola jam, quem vix capiebant moenia nuper,
Deficit, & ſterilis contegit herba vias.

Atria docta vacant, raptique in bella magiſtros
  Jamdudum juvenes deſtituere ſuos.
Aonias fugiunt Divae Parnaſides umbras,
  Dum tuba terribili mugit adunca ſono.
Pallas ab ingenuis ferales tranſit ad artes,
  Et poſita Phoebus corripit arma lyra.
Nec fora, nec reſonant facundis pulpita dictis,
  Nec ſtrepitu, ut quondam, compita trita calent.
Vix opifex, inopem qua vitam ſuſtinet, artem,
  Repperit, & fruſtra ſedulus optat opus.
Triſtia ſed vacuo reſidens ſuſpiria ducit
  Limine, & emptorem rara taberna videt.
Deſidet in media mercator languidus aede,
  Non fora, non urbes inſtitor acer obit.
Horrea denſatis ſubtexit aranea filis,
  Et trabe ſuſpendit Daulias ales opus.
Navita ſubduci ſibi curta viatica plorat,
  Dum terit inviſis otia pigra focis.
Nam mare velivolis conſtratum navibus olim
  Clauditur, & turbat praedo marinus iter.
Non freta, non praeſtant ſtationes flumina tutas,
  Et tenet optatum rara carina locum.
Annua cui cenſus praebent alimenta paterni,
  Dimidium reditus jam periiſſe dolet.

Hunc

Hunc uſura vorax; hunc vectigalia perdunt,
Alterius luxus depopulatur opes.
Denique tabifici quis non incommoda belli
Sentit, & attritis triſtia damna bonis?
Ergo age, ne certam ferat haec ſors dira ruinam,
Pax, precor, ad Batavos, alma, reviſe lares.
Jungere jam niveas tempus, Dea candida, bigas,
Pacifera & mites cingere fronde comas.
Te redeunte, nitor ſentis reddetur agellis,
Rura refloreſcent munere, Diva, tuo.
In falces gladios, in duros tela ligones
Ad patrias recoquet ruſticus igne caſas.
Tityrus, errantes dum paſcet montibus haedos,
Aptabit calamis carmina priſca novis.
Et poſitam grata ſecum complexus in umbra
Phyllida, ditabit prole recente domum.
Proſilient pavidae tenebroſis Naïdes antris,
Et repetent ſilvas Numina caſta ſuas.
Corniger arguta reparabit arundine cantum,
Cum Satyris referens Faunus in arva choros.
Flava Ceres, quocumque feret veſtigia, fruge
Veſtiet, & larga meſſe beabit agros.
Pomifer immenſo flectetur pondere ramus,
Et gemet impoſitum fertilis arbor onus.

Ten-

Tendet ad abruptam ſocialia brachia vitem
  Ulmus, & ad vinclum connubiale trahet.
Ne tamen hac aura recreari rura ſalubri
  Sola putes, urbes Pax quoque mitis alit.
Quo fovet agricolas blando Dea numine, cives
  Nutrit, & urbanos reſpicit aequa lares.
Pallas in antiquas, rabies excgerat unde
  Bellica, jam ſedes, Pace vocante, redit.
Aegida, quam pridem minitans quatiebat, & haſtam
  Abjicit, &, poſita caſſide, mitis adeſt.
Tempora pacali gaudet redimire corona,
  Lanificas revocans ad ſua penſa manus.
Te quoque poeniteat Fratris fera caſtra ſecutum
  Delie; nam placidum dedecet ira Deum.
Frondibus Actiacis cinctam ſuſpende pharetram,
  Telaque marmoreis, ſanguine tincta, tholis.
Auſpice te, redeant doctae felicius artes,
  Et redeat ſtudiis, quod fuit ante, decus.
Duc tecum comites, deſerta ad templa, Sorores,
  Fac colat Aonium turba novena nemus.
Vatibus ereptos in carmina redde receſſus,
  Laetaque Pieriis tempora redde viris.
Tu quoque Lucripotens (nam ſunt tua cura Batavi)
  Aligero redeas in tua regna pede.

Te

Te prece, ture dato, Batavus Te munere ſupplex,
Sint cumulata tuo lucra favore, rogat.
Advehat Eoo gazas mercator ab orbe,
Nec capiant merces horrea plena ſuas.
Corpora de glaucis vitreae Nereides antris
Tollite, jam poſitis fluctibus unda ſilet.
Caeruleisque rotis pacata per aequora labens,
Rex pelagi, regnis otia redde tuis.
Subductà ſic rura colat Pirata carinâ,
Et capiat tutum navita laetus iter.
Agricolas tellus, ſic ditent aequora nautas,
Sic reparet tritas incola gnavus opes.
Munere ſic Pacis tenuata peculia creſcant,
Sic bona poſſideat ſerus avita nepos.
Sic redeant Batavis Saturnia ſecula terris,
Nec premat injuſtum libera colla jugum:
Sanguine majorum libertas condita diras
Raptoris fugiat, Pace vigente, manus.
Nam, niſi perpetuae veniat fiducia Pacis,
Libertas, ſine re, nil niſi nomen erit.
Servitii ſpecies bellum eſt; nec legibus aequis
Eſt locus, & Marti dat ſua terga Themis.
Imperiis adſueta Ducum pars maxima neſcit
Vivere communi jure quieta domi.

Annibal, aeternis patriam dum conficit armis,
 Dux bonus, at civis pernicioſus erat.
Ipſe, cui vitam Romana potentia debet,
 Scipiades patriae deinde timendus erat.
Quo tibi Syllani, Mavortia Roma, Triumphi?
 Scilicet, ut media praelia in urbe forent.
In patriam domitis a Gallis tranſtulit arma
 Caeſar, & aeternum juſſit habere jugum.
Bella quoque incendunt populares ferrea motus,
 Dum quaecumque libet, quisque licere putat.
Milite freta ſuo, diverſas factio partes
 Opprimit, armata regna tenetque manu.
Plebs quoque, cui ſapiens nemo committat habenas,
 Tractat ad exemplum militis arma feri.
Et ſpecie conſueta trahi, ſua jura tumultu
 Vindicat, & Proceres cogit iniqua pati.
Legibus at ſua Pace redit reverentia ſanctis,
 Turbaque rectores obſequioſa colit.
Ibit in adverſos populus temerarius enſes;
 Stabit; ut aſpiciet Conſulis ora ſui.
Quam nequiit ſtricto miles compeſcere ferro
 Seditio, blanda voce repreſſa jacet.
Sola Patres Patriae majeſtas munit honorum,
 Et populum gravitas ſponte decora trahit.

Cu-

Curia terrorem, ſtipata ſatellite nullo,
 Incutit, & cives relligione movet.
Haec mera Libertas, ubi demto come timore
 Obſequium patribus ſedula turba probat.
Utque gregem paſtor, ſic cives paſcit amatos
 Ductor, & a rabidis ſervat ovile lupis.
Mutua ſic Proceres, ſic jungant vincula cives,
 Firmaque concordes foedera utroſque ligent.
Unica Tu Batavis praeſes, Concordia, rebus,
 Auxiſti tenues, et cumulabis opes.
O Deus, hoc patriae ſerva venerabile charae
 Palladium, & curae ſit tibi noſtra ſalus.
Foedere Libertas, et Pax conjuncta perenni,
 Auſpice Te, Batavos ornet ametque focos.

SECULARIA
SACRA
A
BEEMSTRANIS

A. d. xxx. Julii CIϽIϽCCXII.

IN MEMORIAM

Emiſſi ante ſeculum lacus, & agrorum ſiccatorum aſſignationis.

INSTAURATA

Feſta dies, longumque ſemel celebranda per aevum,
  Ad ſacra Beemſtranos, non iteranda, vocat.
En redit auſpiciis aeſtas centeſima laetis,
  Principium ſecli, fauſta, datura novi.
Solvite, poſteritas, concepta parentibus olim
  Vota; pias tingat victima grata manus,
Et prece ſollemni memoris date pignora mentis,
  Dum reſonet feſto murmure ſacra domus.
Quae vobis vovere patres, optate nepoti

Tem-

Tempora, ut exactis candidiora fluant.
Inſtaurate dapes vacui, genioque beati
Ruris ab aurato fundite vina ſcypho.
In numerum manibus, pubes paſtoria, motis,
Ducite virgineos feſta per arva choros.
At quoties ſiccos pedibus gaudentibus agros
Percutitis, ſubeat priſtina forma lacus.
Celſaque mirantes villarum culmina, laeti
Dicite, ïo felix, quod fuit unda, ſolum!
Dicite, ſic pueris ſenior narrare ſolebat,
Otia ruricolis dum faciebat hiems.
Hic ſtabat limoſa palus, ubi prata virere
Cernis, & in rectas jugera ſecta vias.
Hic, ubi gramineis nunc laniger errat in herbis.
Squammifer occultum piſcis agebat iter.
Qua vocat ad mulctram plenas jam lacte juvencas
Theſtylis, ante pigris cymba natabat aquis.
Unda levi ſcirpo, juncoque obducta paluſtri,
In faciem picti floribus ivit agri.
Coenoſumque vadum viridantes extulit hortos,
Cultaque de lento nata vireta lacu.
Hic, ubi ſub calamis fingebat aranea telas,
Et querulum murmur muſca culexque dabant;
Paſta thymum & ſalices, caſiamque examina condunt

Sedula Cecropiis aemula mella favis.
Ponit in aëriis ſuſpenſa cubilia ramis
Ales, ubi virides canna tegebat aquas.
Nunc ubi garritu ſoles pennata ſerenos
Nunciat, a prima luce canora, cohors.
Cana fulix, ſiccas repetens ab arundine ripas,
Exili pluviae gutture ſigna dabat.
Gurgite quo faciles piſces ſcrutator aquarum
Duxerat, infidos aere ferente cibos.
Jam laqueis volucres & viſco decipit auceps,
Et cadit in raras devia praeda plagas.
Qua fluvialis anas, fatuus qua mergus, & anſer
Fercula ditabat ruſtica, captus aqua;
Jam lepus, a catulo campis deprenſus in aequis,
Patricias ornat Pontificumque dapes.
Qua nigra plebejis anguilla probata palatis
Abdiderat limo turpe tenace caput;
Daedala, vernantis nunc, perdix, incola campi,
Ova ſub herboſo tegmine picta fovet.
His juvenes implent dum vocibus aethera, triſti
Suſpirant gemitu Numina priſca loci.
Naïdes, excluſae munitis aggere campis,
Rura ſtupent undis inferiora ſuis.
Corporaque e glauco tollentes gurgite, feſtos

Ire

Ire dolent Dryadum per nova rura choros.
Gramineiſque toris obliquo lumine Nymphas
Molle vident Satyris conſociare latus.
Pan quoque, caeruleo Tritone protervior, acri
Vulnerat ejectas ſede, dolore, Deas.
Tethys in adpoſito moerens cum Doride ponto,
Frugiferam queritur luxuriare Deam.
Quae caput Ennaeis velare recuſat ariſtis,
Vincta vagas ſpica divitiore comas.
Et Tityrus lentis recubans Amaryllidis ulnis
Urit, & invidiam laeta puella facit.
Otia dum recolit fluctus Galathea quieti,
Invenit in tumido gaudia nulla mari.
Invida nec flectens ab amato lumina ſtagno,
Jam ſua Pomonam regna tenere gemit.
Aurea quae blandis Vertumni colla lacertis
Implicat, & frugum cingit honore caput.
Caſtaneaſque nuces ceraſis, & amygdala pomis
Adſtruit, & ſapidis cerea pruna pyris.
Perſica mox variis permiſcens mala racemis,
Innumeras plena lance miniſtrat opes.
Ille, manu textos praetendens vimine qualos,
Muneribus largae conjugis addit olus.
Allia lactucis, & lenibus intyba malvis

Ad-

Adjicit, & duris mollia piſa fabis.
Et niveo aſparagos lucentes vertice junco
Colligat, & miſcet candida fraga rubris.
At nova Piërides gaudentes ſurgere Tempe,
Otia Beemſtrani ruris opaca probant.
Et nemorum latebras, & nigra virentibus umbris,
Aoniis profugae ſedibus, antra colunt.
Jam Calabris praefert armenta Batava juvencis,
Prataque dumoſis ſaltibus aequa, Pales.
Tu quoque, quem vaccas quondam paviſſe Phereas
Non puduit, Batavas ducis, Apollo, boves.
Pulchraque circumdans villoſâ pectora pelle,
Aptas Caſtaliae Belgica plectra lyrae.
Teque modum praebente, choros Beemſtrana juventus
Ducit, & in gyros virgo puerque redit.
Jungere jam paſtor, duce te, perdiſcit avenas,
Et Siculis cantat carmina culta modis.
Dulcius Auſoniâ cecinit nec Thyrſis in umbrâ,
Quam Batavum Corydon concutit ore nemus.
Nec minus Amſteliae cuſtos Caducifer urbis
Nata paludoſis jugera curat aquis.
Ille potens lucri, quì corda ſagacia movit,
Ut tremulum auderent ſollicitare lacum,
Otia laſſatis haec mercatoribus eſſe

Juſſit,

Juſſit, & a ſtrepitu libera rura fori.
Collocat hic vacuos locuples in praedia nummos,
Et bene quaeſitas non male perdit opes.
Hic, patrias ſpernens, externis jugera plantis
Conſerit, & brevibus floribus ornat humum.
Lucra peregrinis ex mercibus alter in umbras
Prodigit, & ſterili fronde coronat agros.
Huic placet Heſperiis tranſlata e finibus arbor,
Quae ferat Arctois poma negata plagis.
Aedificator agris ſpatioſa palatia parvis
Aequat, & hoſpitiis occupat omne ſolum.
Ille jubet ſicca fontes erumpere terra,
Antraque muſcoſo pumice nigra ſtruit.
Numina marmoreis hic fingit ruſtica ſignis,
Et locat in ſolidâ vaſa ſuperba baſi.
Hic operoſa replet vario vivaria piſce,
Hoſpite, qui faciles det, veniente, dapes.
Sic variis hominum ſtudiis pulcherrimus orbis
Angulus, eſt Batavi gloria facta ſoli.
Sic tenuem nutrit locupletis honeſta voluptas,
Et domini artificem damna potentis alunt.
Publica ſiccatis ita vectigalia campis
Dum creſcunt, nocuae diminuuntur aquae
Sic anguſta novis ditata, Batavia, terris,

Exiguo pingues limite claudis agros.
Flumina vicinas ſic lactis mittis in urbes,
Caſeus atque onerat fercla ſecunda tuus.
Quos tibi perpetuos praeſtant felicia fructus
Jugera, ſive aeſtas, ſive recurrat hiems:
Nam quae luxuriant aeſtivo gramine prata,
Secta gregi foenum dant, ubi bruma riget.
Creſcite Beemſtrani ſine fine feracia ruris
Pabula, quae tardo dente juvenca metat.
Mille greges teneras, & mille armenta, per herbas
Luxurient, auras non vitiante lue.
Veſtiat herboſum ſemper tua paſcua gramen,
Nec macie pingues extenuentur agri.
Et lolio careant, & acutis jugera ſpinis,
Fronde nec horrenti carduus arva tegat.
Herba nec a canis uratur prima pruinis,
Germina nec ſubito frigore perdat hiems.
Agger, & oppoſitae moles cingentibus undis
Perpetuo frangant vim ferientis aquae.
Haec ego pro vobis, Beemſtrani, vota, coloni,
Concipiam, ſeclo mox ineunte novo.
Det Deus, ut rata ſint, & cum Pax nutriat agros,
Cum patria Pacis munera, Beemſtra, feras.

I N

IN

AMPLISSIMI ET NOBILISSIMI

VIRI

ISAACI UBINGHII

CELLAM VINARIAM.

Bacche, precor, tandem Cadmaeas deſere Thebas,
  Antra, Pater, tanto numine digna ſubi.
Saxa Cithaeronis, ſterilis Parnaſia rupes,
  Et valeant multo ſquallida rura ſitu.
Non citus Iſmenos, limoſaque lympha moretur,
  Quae lacerae Dirces ſanguine foeda fluit.
Quid Tibi cum tenui, ſoboles Semeleïa, rivo?
  Quid Tibi cum gelidis fontibus, igne ſato?
Te liquor igne rubens, ardentis pocula vini,
  Et melioris agri munera, muſta juvent.
Serta caput cingant, Germanis nexa racemis,
  Uvaque per ripas conſita, Rhene, tuas.

Nec, quae multa tibi poſuit delubra vetuſtas,
  Impediant curſus; ad nova templa veni.
Condidit egregiam Tibi lautus Ubinghius Aedem,
  Numinis a primo tempore Myſta tui.
Sed neque de Pario fingas ibi marmore fanum,
  Signave Phidiacâ facta videre manu.
Inſtar habet templi, curvato fornice, cella,
  Et depreſſa, Tuo numine plena, ſpecus.
Ampla Dei ſpeciem formoſi dolia produnt,
  Et ſtatuas ſimulant condita vina Tuas.
Laeta tholi facies, quae ſacrum ſpirat odorem,
  Admonet auguſtum relligione locum.
Hoc aegris medicina cavo petiturque, daturque,
  Sive dolor cruciet viſcera, ſive latus.
Huc ades, & celſae delabens vertice Nyſae,
  Tigribus adjunctis huc age, Bacche, rotas.
Hic tibi ſit longos ſedes dilecta per annos,
  Hic ſolium, hic ſtratum ſit geniale tori.
Limina tam ſanctae tueatur Ubinghius Aedis,
  Libet & ex plenis cymbia ducta cadis.
Proferat ex adytis caſtus tua dona Sacerdos,
  Et pia Cultorum largiter ora riget.
Ipſe ego (namque ſumus tua ſedula cura Poëtae),
  Sim, precor ô, feſti pars quoque parva chori.

Tum

Tum mihi de facili prorumpant carmina vena,
Et ſaliant calido pectore ſponte modi.
Qui volet, adductâ traducat tempora fronte,
Et procul a blandis luſibus exul agat.
Riſus, & appoſito mihi dicta jocoſa Lyaeo,
Verbaque, quae dictas, libera, Bacche, placent.
Quaere tibi latices Pimplaeos, ſicce Poëta,
Et tua Caſtaliis fontibus ora lava.
Surgat ab annoſo mihi felix carmen Iäccho,
Et renovet vires ditior unda meas.
Ah pereat! Vates quicumque madeſcere vino
Nolit, & aeterna marceat ipſe ſiti.
Ah pereant! quaecumque malas potantibus undas
Scribuntur, nullo carmina ſparſa mero.

MDCC.

IN
VIRUM EXPERTISSIMUM
JOANNEM EYSDENUM,
Medicinae melioris Antistitem.

Mens bona, quam priſci merito coluere Quirites,
Pulſa ſed a noſtro quae procul orbe lates,
Transfer in Eysdeni tua nunc ſacraria cellam,
Nam vates operis maximus ille tui eſt.
Clara Machaoniae qui nuper gloria turbae,
Deſtituit dubios, te duce, Diva, choros.
Jamque nec ambiguae, ceu quondam, credulus arti,
Suſtinet humanum diminuiſſe genus.
Afflavit medicum meliori numine Bacchus,
Et totum juſſit muneris eſſe ſui.
Sordida cum nitidis mutantur Pharmaca vinis
Fictile vas pulchris cedit honore cadis.

Nec

Nec tamen invitum credas hunc prodere Phoebum,
  Tranſtulit EYSDENUS ſigna, probante Deo.
Ipſe pium docuit vatem Latonius, herbis
  Triſtibus, exemplo, poſſe carere, ſuo.
Et quid adhuc dubitas vanas, EYSDENE, medelas
  Linquere? cum Phoebus, ſim tibi ſponſor, ait?
Eſt mihi cum blando dulcis concordia fratre,
  Et ſocium foedus numen utrumque ligat.
Non ego praetulerim generoſis roribus herbas,
  Non ego fragranti gramina ſicca mero.
Jam mihi pampineis cinguntur tempora ramis,
  Uvaque, non lauri marcida bacca, juvat:
Hanc quoque quod tueor longam ſine labe juventam,
  Quod mihi prae reliquis forma decora Deis.
Quod caput intonſis floret ſublime capillis,
  Fraterni fateor muneris eſſe decus.
Si ſaperet, ſtudium hoc dudum ſpreviſſet inane
  Gens hominum, in clades ingenioſa ſuas.
Fallaceſque herbas, & amari pocula ſucci,
  Linqueret, & medico pharmaca craſſa choro.
Quis furor, o miſeri! cruciandum tradere corpus,
  Et vexanda rudi viſcera caeca viro.
Saevit in imbelles praeceps audacia partes,
  Atque ignota ſibi fecit in exta viam.

Quid

Quid facis alterius, dic dure, pericula vitae,
Et miſces aliis, quae tibi, caute, negas.
Credula plebs miſere ferro laniatur & igni,
Carnificesque ſubit turba ſiniſtra manus.
Potio nunc alvum torquet medicata morantem,
Aut ſtomachus paſtas egerit arte dapes.
Aut madet humano crudelis dextra cruore,
Vitaque lethalem perditur ante diem.
Et medicina gravis populatur membra, malumque,
Dum gemino aegrotus fractus ab hoſte perit.
Ergo age, linque ſuis haec dira venena magiſtris,
Et refer ad ſucci te melioris opem.
Dixit. Et imperiis EYSDENUS Apollinis actus
Tranſit ad imberbis mitia caſtra Dei.
Mollia Lenaeus venienti brachia tendit,
Addit & haec, poto, ſuavia verba, mero:
Fratris honos quondam, nunc & mea gloria, ſalve,
Jam mihi, jam Clario cura futura Deo.
Abjice quae ſurgunt coenoſis gramina campis,
Abjice, quos ſuccos miſcet avara manus.
Unica, quae cunctos pellat medicina dolores,
Uva ſit, a longo nobilitata die.
Hanc tibi, quae dudum, deſerto vertice Nyſae,
Culta mihi eſt, Rheni ripa beata dabit.

De-

Defluat annoſum tibi prono flumine vinum,
  Nec capiant meſſes horea longa ſuas.
Sentiat, a fatuis quam fruſtra optaverat herbis,
  Saepe ſalutiferam palmitis aeger opem.
Erige dejectas Lenaeo nectare vires,
  Laſſaque divino membra liquore nova.
Ad lucem a Stygiis languens revocabitur undis,
  Si modo longaevi gutta ſit hauſta meri.
Sic tibi creſcet honos, Geniusque vocaberis urbis,
  Quam Moſa ſpumoſis alluit amnis aquis.
Sic tua Phoebei celebrabunt limina vates,
  Et ruet ad cellas Bacchica turba cavas.
Laetitiaeque dator dum miſcet pocula Bacchus,
  Auratam feriet doctus Apollo lyram.

SOPHIAE REDUCI.

Obſita ſqualllenti lugens Sapientia panno
  Errabat, laceris per loca vaſta comis.
Sola vagabatur, niſi quod comitaret euntem
  Mens bona, purpureas dilaniata genas.
Obvius his aliquis, cultumque habitumque Dearum
  Dum ſtupet, erroris cauſſa ſit unde? rogat.
Ingemit, & moeſto Sapientia pectore voces
  Has, memori volvit dum mala mente, dedit.
Me ſchola Trajecti celeberrima ceperat olim,
  Nec ſedes animo gratior ulla meo.
Prima mihi caſtas Trajectum erexerat aras,
  Prima dedit noſtris tura merumque focis.
Gens ignara, madens ſermone, ſcholaſtica, pingui
  Foedabat miſeris numina noſtra modis.
Detrahit inductas ſordes Carteſius Arti,
  Splendeat ut Rerum Mater honore ſuo.

Im-

Impiger extollit ſignum Renerius, &, quae
  Hauſerat a Gallo, ſcita probata docet.
Conſecrat auſpicio Ludi primordia dextro,
  Doctrinae reſerans nobilioris opes.
Hinc decus atque ingens naſcenti fama Lyceo,
  Et ſimilis priſcis gloria lauſque Scholis.
Regius ignotas Naturae expromere vires
  Dum ſtudet, eſt odii victima prima feri.
Saevit in excelſas confuſa Inſcitia mentes,
  Viribus expugnans, quod ratione nequit.
Erigit afflictam Veri Mansveldius aedem,
  Fertque ſalutiferam Brunius acer opem.
Jàm mihi perpetuam chara tellure quietem
  Spondebam, & curis otia longa meis.
Cum necopina mihi Terraeque aerumna paratur,
  Libertas patriae qua ſtudiiſque cadit.
Inruit in Batavos numeroſo milite Gallus,
  Dejicit hoſtilis templa ſacrata manus.
Arma fugant artes, grataſque relinquere terras
  Cogor, & incertum ferre per arva pedem.
Atria, quae doctis reſonabant vocibus olim,
  Ungula ſaeva quatit quadrupedantis equi.
Vana dein, fuerat quae ſpes ſuper una, fefellit,
  Redderer ut priſcis, hoſte abeunte, locis.

Nam ſimul ut noſtras pervenit rumor ad aures,
  Praecipiti Gallos terga dediſſe fuga.
Applicor ad veteres, ut rebar, grata cathedras;
  Omen at ingreſſae limina triſte venit.
Non mihi qui reditum gratetur, & oſcula jungat,
  Non mihi qui tendat brachia, cultor adeſt.
Non Procerum, quorum toties me cura refecit,
  Venit in occurſus officioſa manus.
Plena peregrinis urbs eſt mihi viſa figuris,
  Cernitur haud oculis cognita turba meis.
Unus, & hic tacito librans veſtigia greſſu,
  Adrepit, timido murmure pauca ferens.
Diva, quid ad ſubitos haeres turbata tumultus?
  Solane, quae patriam, neſcia, fata premant?
Compita, quae quondam ſtudioſa pube calebant,
  Cincta gravi ferro Martia turba replet.
Seditio fractos faſces, verſaſque curules
  Projicit, & ſancta pellit ab Aede Patres.
Ecce, ſatellitio Ductoris capta ferocis,
  Jam recipit dominos Curia noſtra novos.
Jura tacent, leges calcantur, dulcis avito
  Sanguine libertas empta, decuſque perit.
Effugimus Galli, patrii non militis iras,
  Et Duce Dux noſtro mitior hoſtis erat.

Et,

Et, meliora tuis ne ſperes tempora Myſtis,
Livor in innocuos exſerit arma viros.
Perniciem Patriae doctrinae damna ſequuntur,
Obruit Aonias una ruina Deas.
Occupat en ſacras corrupta ſcientia ſedes,
Et tenet heu! veſtrum barbara Moecha thronum.
Mentitur Sophiam fucata Sophiſtica veram,
Et meretrix caſtae Virginis ore ſedet.
Impediunt teneras Chryſippi vincula mentes,
Et laquei juvenum pectora caeca tenent.
Nil reſonant praeter nodoſas atria nugas,
Turba cavillatrix foetida verba jacit.
Incautam retinent Sirenum carmina, donec
Haereat ad ſcopulos & vada tecta, ratem.
Haeſit, ut audivi, triſti vox pectore, & inde
Infauſtum refero, qua licet uſque, pedem.
Sex Mihi jam profugae Comitique huic luſtra peracta,
Certa nec eſt nobis poſt mala tanta quies.
Excipit, ut finem fecit Dea magna, Viator,
Laeta ſerenata gaudia fronte ferens.
Siſte fugam, & noſtris infer te moenibus, oro,
Et repete antiquae limina ſedis ovans.
Ecce Sacerdotes luſtrata piamine multo
Templa tibi caſta relligione novant.

Excitat everſas ſolers Serrarius aras,
  Et praefert hilari ſulphur & ova manu.
Pompa frequens laeto plauſu comitatur euntem,
  Et ſtupet egregii verba diſerta Viri.
Tu quoque depoſitis gaudens te ſordibus adde,
  Cum Socia, feſto, Diva benigna, choro.
Nec mora; componit ſparſos Sapientia crines,
  Et bona Mens cultu conveniente nitet.
Ut pede Trajecti propero tetigere Lyceum,
  Clamat ab excelſo ſic Dea docta loco.
Huc, precor, o Juvenes, huc o concurrite noſtri,
  Hac ego perpetua ſede manere volo.
Hic meus a primo Vates Serrarius aevo
  Efferet arcana condita ſacra domo.
Hic mea diſcendi cupidis oracula pandet,
  Numine quae noſtro plenus aperta dabit.
Vana nec e trivio referetur fabula, qualem
  Ploranti puero garrula narret anus.
Non Juvenum longa mentes ambage tenebit,
  Nec male perdendi temporis auctor erit.
Non ea diſcetis, quae mox dediſcere dulce eſt,
  Mente nec e fragili dicta ſevera fluent.
Glandibus, o juvenes, meliora alimenta, relictis,
  Carpite, quae noſtro munere Doctor habet.

Diſ-

Diſcite, quae rerum ſint prima ab origine cauſſae,
  Diſcite Naturae cuncta creantis opes.
Diſcite quam variis agitetur motibus orbis,
  Lucida ut aeterna ſidera lege meent.
Diſcite quam magnus ſit docti pulveris uſus,
  Qui docet haud dubia quaerere certa via.
Sed tamen in primis ſupremum noſcere Numen
  Cura ſit, arbitrio quod regit omne ſuo.
Utque, Dei munus, Ratio coeleſtia prodat
  Semina, & impreſſas mens generoſa notas.
Dixit, & applauſu ſonuerunt atria longo,
  Dicta Deae Juvenes voce manuque probant.
Deſerti nemoris recidivae ſurgite lauri,
  Dulcis Apollineis umbra futura viris.

Ao. CIƆIƆCCVI.

QUA-

QUATUOR-VIRATUS
REGNO ET RELIGIONI
NOVO MORE
CONSTITUENDIS.

SI quis in hac ſectae vires non noverit urbe,
  Nomen ab auſtera quae gravitate trahit;
Tetrica quam virtus, & gloria ſumma rigoris
  Laude, ſuper Fratres, tollit in aſtra novâ.
Membra ſacro quatiente metu, timiduſque tremenſque
  Haec legat, & memori pectore ſcita notet,
Nuper in arcanis quae caſta quadriga tenebris
  Sanxit, & in vulgus juſſit abire pium.
Nam licet attollant plures ſine nomine frontem,
  Juraque Pontificum ſe bene ſcire putent.

Quae-

Quaerite non alios, ô turba docenda, magiſtros,
Quam tibi Trajectum quos dabit, alma parens.
Haec caput, & ſacri ſedes primaria regni,
Hic Pietas celſâ purior arce ſedet.
Quatuor hic ſolium mira gravitate coruſcum
Rectores, populo turba tremenda, tenent.
Nec tolerare pares, neque docti ferre priores,
E queis Rex fieri quilibet aptus erit.
Et licet ex illis videatur Regulus unus,
Cum deſit gracili regia forma viro.
Dux tamen, & rigidae Praeſul ſedet ille catervae,
Et reliqui a parvo Principe ſigna petunt.
Imperat his cubito Nanus non altior uno,
Vix capiens tenui regia ſceptra manu.
Addit at horrorem diademate triſtior omni
Infula, Pygmaei tempora torva tegens.
Purpura majorem nec Regibus addit honorem,
Quam dat ſemiviro Pontificalis apex.
Hoc igitur moderante ſacrum nunc Praeſide coetum,
Haec data ſacrifico ſunt nova jura choro.
Nos ſumus (hinc deſcendit enim coeleſtis origo
Muneris) arcanis conſcia turba Dei.
Credita ſunt nobis Divinae oracula mentis,
Quae, niſi ſit noſtrâ prodita voce, latet.

Nos agimus Chriſti, qui regnat in aethere, partes,
Nos agitat vates Flaminis aura ſacri.
Nos in Apoſtolici ſuccedere jura ſenatus
Quis neget, & lecti frena tenere gregis?
Nec fas Principibus, nec ſolvere Regibus illa
Juſſa, ſed huic omnes ſubdere colla jugo.
Quo volumus, Proceres pollenti ducimus ore,
Et tremit ad noſtros Curia tota ſonos.
Si lubet, eripimus faſces, vacuumque curule
Conſul habet, noſtro ſaepe favore, novus.
Nos modo praecones belli, modo nuntia pacis
Turba ſumus, quae dat noſtra, negatque manus.
Non ſecus, ac gentis Legati ſaepe Quirinae
Foedera portabant, vel fera bella, ſinu.
Sed magis in ſtupidam ſe noſtra potentia plebem
Exſerit, obſequio quae magis apta pio.
Nam Proceres impune videns nos laedere dictis,
Principe nos credit jure ſedere loco.
Nos vocat inde patres, curatoreſque ſalutis,
Et coelum noſtri muneris eſſe putat.
Sidera, queis volumus, ſedeſque aperire beatas
Poſſe, vel inferni pandere regna Dei.
Perpetuos nobis vulgi reverentia faſces,
Et pius imperium dat ſine fine ſtupor.

Plebs

Plebs ad noſtra ſapit tantum dictata, Deumque
Non niſi, quam facimus, credulitate colit.
Qui plus plebe ſapit, nobis temerarius audit,
Sacraque non purà commaculare manu.
Imus in hunc longo mox concors agmine turba,
Obrutus ut denſo concidat hoſte miſer.
Nec ſumus imbelles, dat lingua volubilis arma;
Lingua dat in quodvis tela parata caput.
Fulmen ab ore venit noſtro violentius illo,
Quod jacit irati dextera magna Jovis.
At ne quis metuat, Fratres, diſpendia famae,
Aut Stygii timeat nomen habere Canis.
Aſpera velamus pietatis imagine dicta,
Et Dirae ſpeciem relligionis habent.
Ne tamen in quemvis laſcivia ſaeviat oris,
Aut vomat in culpas ruſtica probra leves.
Nec quia quis vinoſus erit, perjurus, adulter,
Improbus, aut raptor, depoſitumve negans,
Aut alio violat divinas crimine leges,
Protinus hic noſtra voce notandus erit.
Nil tremat, imperii ſi noſtri ſervet honores,
Et ſacri agnoſcat jura ſuperba fori.
Effera ſed, precibus placari ignara miniſque,
Impius has habeat, quem petat ira, notas.

Qui Druidûm ridens oracula, ſomnia jactat
  Eſſe, nec illorum numina voce loqui.
Pontificum qui ſcita notat; Dominique Senatus,
  Aut Regum placitis illa minora docet.
A Patribus ſolvit qui vincula nexa ſacratis,
  Quique ſuo rurſus jure ſoluta ligat.
Qui non compoſitum vultum, frontemque ſeveram
  Indicium verae ſimplicitatis habet.
Qui Curios ſimulare foris, Saliaribus intus
  Viſcera nos epulis exſaturare ferunt.
Qui non femineas dicunt celebrare cathedras
  Sacrificos, tractent ut pietatis opus.
Hac ſed agi ſpecie myſteria ſaepe Diones,
  Doctrinae pretium Virgine dante torum.
Fallere qui Myſtas, aut qui mendacia poſſe
  Profluere in vulgus, credit, ab ore ſacro.
Fulmina Minoâ qui nos fas mittere lege,
  Aut Rhadamanteo more tonare, negat.
Damnatos Stygiis qui noſtra voce tenebris,
  Autumat aeterna poſſe ſalute frui.
Sit ſacer, inſanis qui nos clamoribus urbes,
  Sit licet hoc verum, ſollicitaſſe refert.
Qui premit infami vittatam crimine turbam,
  Utque ream ſemper ſeditionis agit.

Et

Et patrias leges, temerataque jura tumultu,
Semper, ait, Clero ſubjiciente faces.
Carnifices quicumque vocat Myſtas, quia quondam
Saeviit in Fratres plebs furioſa duos.
Et lacerata Patrum ſuſpendit corpora furcâ,
O decus aeternum civibus, Haga, tuis!
Qui queritur raptos ex ſancto in vincla Senatu,
Carceribus Proceres conſenuiſſe nigris.
Et laribus profugos, ob Libertatis amorem,
Audet honoratis adnumerare viris.
Et Senis innocui diro caput enſe reciſum,
In populum, noſtris artibus eſſe, ferit.
Quique necem hanc fato confert Palamedis acerbo,
Et nos Sinones, Theſtoridaſque vocat.
Qui nondum ſolidi fundamina quaſſa Batavi
Orbis, ab atrato praedicat eſſe choro.
Quem, Duce Dudlejo, patriae juraſſe ruinam,
Sub ſpecie purae relligionis, ait.
Denique qui populos felices credit, ubi non
Curia ſit Myſtis obſequioſa piis.
Gloria queis Chriſti divinis pectora flammis
Urit, & imperii fine carentis amor.
Commoda qui populi non utilitate, ſed aequo,
Et ſuperi ſolo Regis honore probant.

(Nam licet hoſtili caderet Reſpublica fraude,
Viſceraque in patriae verteret arma furor,
Non populi nos alma quies, non cura ſalutis
Cogeret a rigido flectere calle pedes)
Qui negat in ſacro quoque leges Codice ferri,
Rectores populi quae populumque ligent.
Sed modo coeleſtis tradi praecepta ſalutis,
At non qua Patriae quaeritur arte quies.
Doctores formare Deum, non Regibus artes
Prodere, queis gentes ſub ditione tenent.
Hinc ſacra civilis partem moderaminis eſſe,
Et Proceres illis jure praeeſſe ſuo.
Eſſe ſacerdotes cives, ut cetera turba,
Qui dominos debent imperiumque pati.
Haec, & plura facit ſi quis convicia Myſtis,
Nominis aeterna labe notatus eat.
Atheus, & Superûm ſpretor dicatur, & aequi,
Et tangi nulla relligione Dei.
Impius Hobbeſii, quod protulit Anglia monſtrum,
Dogmata dicatur prodigioſa ſequi.
Scitaque Spinozae, Machiavellique ſceleſti
Damnoſos populis mente probare dolos.
Dedecori accedant odia immortalia noſtri
Ordinis, hoſtiles & ſine fine minae.

Tartareis

Tartareis illud damnet ſententia poenis,
  Inviſum populis Presbyterisque, caput.
Intentent Furiae, quas noſtra habet ira miniſtras,
  Verbera, ſerpentes, funereaſque faces.
Scindat Avernalis ſpinoſo terga flagello
  Tortor, & in partes corpora mille ſecet.
Nec laceros artus tellus tegat; aequor & aether,
  Flammaque projecto funera juſta neget.
Denique, quot diris Pelignus devovet Ibin,
  Tot ſubeat Stygios umbra gravata lacus.

Scribendo adfuere

A. I. B. C. B. AE. V. P. A. D.

AD MIRMILLONES SINE MISSIONE DEPUGNANTES.

SIc decet; ad rixas & jurgia nata Caterva,
  Bella cruentatà continuate manu.
Pergite vipereâ convicia ſpargere linguâ,
  Armaque ſublatà dextera pace gerat.
Nil equidem, Sancti Patres, prohibemus; at irae
  Hic erit, & ſcriptis, meta modusque, meis.
Si ſatis haud doceant, quam non impune laceſſar,
  Vulnera, quae veſtro pectore hiulca ſedent;
Non mihi fert animus, cum linguâ dira procaci
  Praelia in annoſas perpetuare moras.

Cedi-

Cedimus, en, tumidi ſaevis latratibus oris,
  Et rude donatam tollimus, ecce, manum.
Projicimus laeti, quae ſumſimus arma coacti,
  Eſſet ut a turpi libera vita notâ.
Sat decori famaeque datum. Nec victor Echidnae
  Guttura quadrifidae ſcinderet ipſe ferae.
Et prius elingues ceſſabunt vere Cicadae,
  Raucaque limoſâ Rana tacebit aquâ,
Ingratoſque ſonos compeſcet garrula Cornix,
  Noctuaque obſcaeno deſinet ore queri;
Quadrijugae venient quam fida ſilentia turbae,
  Quam rapit in vanas bilis & ira minas.
Pergite (nam vobis, Myſtae, licet) illita tabo
  Anguineo in tutum mittere tela caput.
Diſcipulos Chriſti poſt haec imitamina nemo
  Vos neget, & Sancti numen amare Dei.
Sidereâ applaudit jam vobis Paullus ab arce,
  Et legitis, clamat, ſic mea ſigna pedum.
Cernit Apoſtolicus certamen ab aethere coetus,
  Vocibus his pugiles, bellaque dira probans.
Omnia, quae numquam placidiſſimus ore Magiſter
  Auſus in hoſtiles fundere probra manus,
Nec quae nos, Chriſti comites, convicia turbae
  Fecimus adverſae, vos vomuiſſe patet.

Ite pii plebis Doctores, ite ſuperbi,
  Tollite ſacrificas ſidera ad alta comas.
Ducite de veſtro nunc Hoſte ſilente triumphum,
  Figite nubiferis celſa tropaea jugis.
Nam tacet infando Burmannus crimine preſſus,
  Impia tollebat, quo duce, Secta caput.
Ille graves odiis Myſtas immanibus urgens,
  Inque piis temerans Numina ſumma viris,
Improbus & ſuperûm ſpretor (ſic fingitis illum)
  Verboſo pavidus dat ſua terga choro.
Conticet, & poſthac infecta volumina felle,
  Nigraque lecturum ſe maledicta negat.
Nec recoquit cramben, quam jam faſtidit, & atros
  Cum rabidâ Athletas lite valere jubet.
Ad ſtudia & curas meliores otia mentis
  Innocuae confert, Piëridaſque ſuas.
O ſedeat, Burmanne, tuae ſententia menti,
  Bella bonâ tandem ponere longa fide.
Jamque, ſatis juſta neque tu moderatus in ira,
  Sanguine foedaſti ſordidiore manum.
Peccaſti ſatis; at peccati ſumma, Catones
  Ludere quod lepidis auſus es uſque jocis.
Crimina jam quamvis ſit falſa repellere promtum,
  Si ſapias, poſthac ora ſtylumque premes.

Pal-

Palma quidem facilis; ſed ne ſit gloria tanti,
  Nomen ut a domitâ garrulitate feras.

AD

MENANDRI

ET

PHILEMONIS MANES.

CEcropiae decus & ſcenae laus prima Menander,
  Cui dederant blandi nomen habere ſales.
Quem Patrem Theſea domus venerata leporum
  Plauſibus, & fauſtis duxit in aſtra ſonis.
Quem Jocus & Charites & culti mater Amoris
  Nectare paverunt, deliciisque ſuis.
Cujus in ambroſiis poſuerunt mella labellis,
  Lecta thymo, quem dat ſuavis Hymettus, apes.
Quem populus ſtupuit Mavortius, ore Terenti

Dum mulcet rigidos Attica ſuada viros.
Quique tuis pueris, ut terſi carminis auctor,
Roma, fuit ſolitus virginibusque legi.
Tuque Syracoſii divina Philemonis umbra,
Quem redolens puris nutriit Hybla favis.
Seu te Corycio nymphae fovere ſub antro,
Cui venit a ſocco fama ſecunda levi.
Ergone nec laceris, poſt triſtia funera, membris,
Nec dabitur ſparſis manibus ulla quies?
Integra nec prodeſt jugulaſſe volumina Turcam,
Qui dedit exitio, qua tulit arma, libros?
Nec ſatis eſt, diram quod juverit ipſa ruinam
Graecia, quae doctos degeneravit avos?
Vexet ut immanis cineres & Gallulus oſſa,
Sacrilega temerans buſta quieta manu.
Ecce ferus geminat confoſſis Vatibus ictus
Clericus, & duplice funere ſcripta necat.
Veſtraque nec numeris, queis olim grata, modiſque
Carmina, nec patitur, quo decet, ire pede.
Scilicet haec noſtris ſervata informia ſeclis
Prodigia, & nullis monſtra pianda ſacris.
Nunc neque crimen erit, Grajas calcaſſe Camenas,
Verſibus aut numeros eripuiſſe ſuos.
Nunc modo ſeptenis velox cogeris Jämbe,

Nunc

Nunc pedibus mancum quinque movere gradum.
Nunc neque Grammatices certas contemnere leges
Dedecet, aut forma cudere verba nova.
O nova lux Grajis adfulgens, Clerice, Muſis,
Cenſor Ariſtarchi vimque minaſque ferens.
Carmina te Phoebus jam cantet rauca magiſtro,
Claudicet obliquo, te duce, Muſa pede.
Teque rudem praebente modum Tibicine, craſſo
Ventre tumens, turbet ſaucia Niſa choros,
Theſtylis ad citharae ſtridentis plectra fatiſcens,
Deſinat, a riſu feſſa, movere latus.
Plaudat ïo Bavius, ſtolidas tibi commodet aures
Maevius, & ſocii carmina Mopſus amet.
Et rudat ad numeros tollens aurita venuſtos
Tempora, dum ſcabram verſat aſſella molam.
At tibi derepta denudet viſcera pelle
Delius, ut fatuo fecerat ante Phrygi.
Vel te, quas laeſit linguae petulantia, Muſae
In variam mutent, Garrule cenſor, avem.

ODE
IN
SEXAGESIMUM NATALEM
VIRI PERILLUSTRIS
THEODORI
A
VELTHUYSEN,
TOPARCHAE DE HEEMSTEDE.
ETC. ETC. ETC.

Poſceris feſtâ rea, Muſa, voti
Luce; ſolemnes, age; redde cantus,
Et fidem, laeto prius obligatam
Omine, ſolve.

Rector

Rector humani generis, bonorum
Civium motus prece, & hunc in annum
Heemſtedî extento patriam beavit
Providus aevo.
Addit en luſtris duo luſtra denis,
Et dies ſpondet viridi ſenectae
Candido verſans bona Parca longos
Pollice fuſum.
Soſpes in plures maneat, ſalutis
Cura ſi noſtrae tua corda tangat,
Belgicae cuſtos vigil, o paterque
Optime gentis.
Publicam quantae quatiant procellae
Rem, vides, & quam tremat imminentem
Fluctibus ſaevis agitata pinus
Noſtra ruinam.
Horridis ventis latus eſt apertum,
Sauciam rimis patulis carinam
Verberant undae, tabulasque laxat
Vis fera ponti.
Fluctuant ipſi variis regentes
Aeſtibus, multi ſua ſalva laeti
Ferre, jactatam meditantur alto
Prodere puppim.

Op-

Optimos vector queritur magiſtros
Morte ſubduci, neque juniores,
Arte qui navem moderentur, audit
Laeta ſubire.

Heemſtedî robur, dubiis probatum
Rebus, & clavo removere dextram
Neſcium, cura vigili natantem
Temperat alnum.

Ille non, coelo tumidus ſereno,
Vela laxavit nimium, furentis
Turbinis ne vim bene praeparato
Pectore ferret.

Sed vices rerum ſpeculatus alta
Arce, nec fortis timet inſolentes
Perfidae ludos, neque plebis imae
Pendet ab aura.

Integris gaudens operam bonisque
Civibus, quam dat patriae, probari,
Doctus applauſum, ſtudiumque vani
Spernere vulgi.

Tramitem ſervans ubicumque rectum,
Seu quatit ſegnes Domini minacis
Vultus, aut vanus nimis arrogantes
Ambitus effert.

Nocti-

Noctibus ſperans meliora coecis,
Firmus, & duris animoſus horis,
Temperat rurſus placidam ſereno
Tempore mentem.

Semper in certa ſtatione durans,
Sive Mavortis furor & procella
Belgicas urbes quatiat tremendo
Saepe tumultu.

Seu minus fidae ſimulata pacis
Fallat incautos ſpecies, & umbra
Creduli ducat populi quietis
Mobile pectus.

Ille non pravi ſtudio, lucrique
Sordidi tactus rabie, Batave,
Res tuas, duri fugiens laboris,
Negliget umquam.

Stabit inſomnis, vigileſque noctes
Ducet in celſa ſpecula, perennis
Donec exhauſtas recrearit urbes
Munere pacis.

Nec tamen curae facient tot acres,
Quo minus dulces foveat Camenas;
Et modis doctas, numeriſque pronas
Commodet aures.

Teſtis annoſis nemoroſa ramis
Villa, laſſati domini receſſus,
Quae ſacris gratam toties Poëtis
Praebuit umbram.

Teſtis in Muſas animi benigni
Atrium ſemper patulum, manusque
Prompta doctorum recreare largo
Munere corda.

Heemſtedî ſenſit mea vena vires,
Spiritum noſtrae toties Camenae
Addidit magni favor, & potentis
Cura Patroni.

Impetus noſtrum in caput invidorum
Fidus hic ſtultos clypeus retudit,
Juſſit & laetum rabiem malignae
Spernere turbae.

Sidus hoc certum timidae carinae
Dirigit curſum, ſcopulosque praeter
Ducit, & noſtram rapit e Charybdis
Vortice puppim.

Muſa, fac noſcant meritum Nepotes,
Crimen & vita taciturnitatis,
Nec tibi poſthac ſine mente grata
Pagina ſurgat.

Con-

Conſecra vitae, ingenii potentis
Viribus, longae, Procerumque primi
Praedica clarum, manibusque leti
Eripe nomen.

Sculpe non ſaxo titulos caduco,
Aere nec figas monumenta fluxo,
Sed Viri numquam perituro honorem
Carmine ſigna.

Vincat annales memoresque faſtos
Charta gratorum numeroſa vatum,
Eximens vulgi decus hoc Batavi
Coetibus orbis.

Nec minus Belgas agitet Poëtas
Heemſtedî virtus, animusque largus,
Plectra quam Tuſcis Venuſina movit
Regibus ortus.

Nec magis vivat teneri Properti
Ore Maecenas, neque, Mantuani
Alitis pennâ ſuper aſtra vectus,
Altius exſtet.

SOTERIA

PRO

VIRO PERILLUSTRI

THEODORO

A

VELTHUYSEN,

HEEMSTEDII TOPARCHA.
ETC. ETC. ETC.

XVIII. DECEMB. CIↃ. IↃCCXII. NATALI EJUS
DIE PRIMO ET SEXAGESIMO

SOLUTA.

Annuos fauſto, pia Muſa, cantus
Sole, natalem referente cari
Heemſtedî, fas eſt properare, laetae
Pignora mentis.

Vota

Vota fac, luſtris iteranda multis;
Nec time, quamvis ſterili Camena
Defluat venâ, tibi deſit umquam
Copia laudis.

Torqueat mentem potius paratam
Cura, ne virtus bonitaſque magni
Te Viri laſſet, labet & ſub iſto
Pondere cervix.

Aequa quis ſperet meritis Poëta
Verba tam raris reperire? dotes
Improbus quis tot celebrare digno
Carmine ſumat?

Pectoris celſi decus integrique
Deſpicit tuto populare murmur;
Clara plebeji ſtrepitum fragoris
Gloria ſpernit.

Turba tot rerum, vigileſque curae,
Quas ſuper carà patrià tot annos
Egit, ereptum populis in alta
Luce locarunt.

Quam nec augebunt humiles canentum,
Nec pares tanto numeri decori,
Fine nec mordax minuet carentem
Livor honorem.

Majus adfectas igitur puſillis
Viribus pondus, Pietas; & amplas
Deteris culpa ingenii, levique
Carmine laudes.
Linque facundis opus hoc Poëtis,
Quîs parem factis tribuit benignus
Spiritum Phoebus, laticeſque ſacrae
Sufficit undae.
Noſtra ſed gyro breviore Muſa
Curre, ſublimis metuens volatûs,
Icari nec te memor infer altis
Nubibus audax.
Sat tibi partum decoris, probare
Come ſi magno ſtudium Patrono,
Et voluntatis dare certa poſſis
Signa faventis.
Solve, quae ſupplex pia nuncupaſti,
Vota, ſolemni renovare ſemper
Luce quae fas ſit, precibuſque perge
Vincere Numen.
Tangat ut, Muſis patriaeque noſtrae
Debitum, metam caput o! ſupremam,
Funeris quam lex poſuit caducis
Ferrea rebus.

Vivat,

Vivat, & ſeros diuturnus annos
Ire, non triſti videat ſenectâ;
Corpus & ſervans ſine labe, ſolâ
Mente ſeneſcat.

Augeat canos ſpatium: ſimulque
Arte conſummet populos regendi
Pectus, & curis poliat ſubactum
Longior uſus.

Creſcat aetati ſociata feſſae
Dignitas, grati cumulent honore
Plurimo Cives, tituloſque ſignent
Aere perenni.

Cuncta ſed vincant monumenta chartae,
Facta quae condent tua, poſteriſque,
Summe Vir, clarum decus in futura
Secula mittent.

Ut nepos, cujus vigili labore
Res ſtetit, noſcat, dubio Batava
Marte, vel vires recreata blandâ
Pace recepit.

Quae nimis lento properans volatu;
Et negans tritos hilarare Belgas,
Tardat infeſtas ſociare certo
Foedere gentes.

Alma

Alma Pax, vanis potior triumphis,
Dulcius qua nil miſeris in orbe
Floret, ad ſedes revola relictas
Praepete penna.

Pelle funeſtum placidis Gradivum
Finibus, Thracas eat exul oras
Sanguinem ſpirans Deus, & feroces
Biſtonas armet.

Saeviat Turcos violentus inter;
Miſceat gentes Scythicas, cruore
Aridum guttur ſatiet Getarum,
Sauromatûmque.

Bella dediſcat furioſa Chriſti
Coetus, & nolit lacrymoſa ferre
Arma; placatis fera detumeſcat
Cordibus ira.

Otium reddas, Deus, o! beatis
Urbibus quondam, calidiſque motus,
Pacis auctores, lacrymis, amico
Reſpice vultu.

Bella qui ſuadent, & aperta Jani
Ferreis claudi foribus reclamant
Templa, miteſcant, & amare lenes
Foedera diſcant.

Flecte

Flecte, vexatas miſerate gentes,
O dator pacis, rigidos alumnos
Martis, & creſcat numerus beatae
Pacis amantum.

Inter hos noſtri tibi cura prima
Heemſtedî, Rector, ſubeat, Paterque
Belgicae gentis; maneatque longum
Soſpes in aevum.

Fac diu, quam nunc ſtudiis quietem
Obſequens ſanis, populique votis,
Nititur lapſae patriae referre,
Ipſe fruatur.

Ire poſt triſtes tenebras ſerenos
Gaudeat ſoles, recreentque feſſam
Artibus pacis meliora laetae
Tempora mentem.

Quîs opes ſolers animi ſagacis
Pandat; & vim conſilii ſenilis,
Providi & curas ſtupeat verenda
Curia cordis.

Inter inſignes radiet regentes
Sidus hoc, certum dubiae carinae
Quod dabit ſignum, Duce quo tenebit
Integra portum.

Quantus at nuper quatiebat omnes
Horror? o! quantus timor imminentis
Turbinis buxo ſimili notabat
Ora colore.

Rumor ut, triſtem volitans per urbem,
Febribus carpi tua membra lentis
Sparſit, inſomnem cruciante totâ
Nocte podagrâ.

Languidum, vires populante morbo,
Corpus inviſo recubare lecto,
Dum gravis lumen Procerum Senatus
Moeret abeſſe.

Sed fatigatum precibus bonorum,
Nec ferens fletus patriae jacentis
Ad pedes Numen, faciles paventi
Praebuit aures.

En jubar pulſis nitidum reducit
Nubibus; laetus ferit aſtra clamor,
Et ſonant feſto ſacra gratulantum
Murmure templa.

Heemſtedî limen calet, & capacis
Atrium tecti numeroſa complet
Turba, ſervato Domino, fragore
Gaudia prodens.

Fron-

Fronte diffuſa populi faventis
Agmen, & coetus Procerum piorum
Certat Auctori meritas ſalutis
Reddere grates.
Laureâ cincti tibi, Phoebe, vates
Laetum Iö Paean! & Iö canorâ
Voce bis Paean! geminamus, arte
Clare medendi.
Supplices aras, Opifer, benignas
Tangimus; felix tua dextra ſuccos
Miſceat fidos, medicisque vires
Praebeat herbis.
Exuat, ſerpens novus ut, ſenectam
Heemſtedî corpus, viridiſque firmum
Robur aetatis reparata cernant
Membra novari.
Arte ſic, quam te didicit magiſtro,
Sedet illuſtris rabidas Machaon
Febrium flammas, & inerte nodo
Liberet artus.
Proſperes curas Medici potentis,
Lauriger Paean, & utraque pollens
Arte, cortinae pia vatis aurâ
Pectora tangas.

Foeta ſic mens Pierio calore
Auream docto magis increpabit
Barbiton plectro, moderante tanto
Numine dextram.

Sic ſupra vulgus leve concitato
Impetu raptus, decus & verendum
Heemſtedî nomen ſuper alta tollam
Sidera verſu.

IN NATALEM
QUARTUM ET SEXAGESIMUM
VIRI PERILLUSTRIS
THEODORI VELTHUSII,
HEEMSTEDII TOPARCHAE,
TRAJECTINORUM ORDINUM PRINCIPIS. &c.

CELEBRATUM XVIII. DECEMBRIS CIↃIↃCCXV.

HEemſtedii natalis adeſt; properate Camenae,
  Ite, decet, fauſtis ad pia ſacra ſonis.
Sacra, coronatâ toties mihi fronte peracta,
  Annoſo toties concelebrata mero.
Pergite Trajectum, mihi non licet; inque penates
  Velthuſios animi pignora ferte mei.

Illa dies, praeſens dominus qua ferre ſalutem
  Sueverat, & laeta voce favere, redit.
Candida lux, qua flore pudor fervere Lyaei
  Non erat, aut dubium nocte referre pedem,
Gaudia quanta feres, coram gratantia verba
  Quîs licet, & mentis prodere ſigna piae?
Jam veteres hilarat ſine luxu menſa ſodales,
  Et melior dapibus frons genialis Heri.
Aſt ego, laetitiae quondam ſpectator honeſtae,
  Concipiam ſicco vota preceſque die.
Jam mihi ſubmoto faciens vix dextera linguae
  Cogitur, & vocis charta ſubire vices.
Muſeoque latens inamœno carmina ſcribo,
  Quae mihi vix, vena deficiente, fluunt.
Carmina, praeteritae non reſpondentia famae,
  Carmina, materiae pondere victa ſuae.
Culta mihi puero teſtor pia numina, Muſae,
  Diſplicet hoc uno bibliotheca die.
Nam mihi, dum meditor laetos deducere verſus,
  Pro fauſtis ſubeunt triſtia verba modis.
Temporis illius ſpecies renovatur, amicis
  Quo patriâ dixi raptus ab urbe vale.
Quaeque diu dubiam tulit in contraria mentem,
  Moeſtaque verſavit pectora, cura redit.

Heem-

Heemſtedii, exclamo, ſine me cur atria fervent?
  Cur pia gratantum me ſine turba coit?
Tene ego ſperaſſem Trajectum linquere vivo?
  Tene ego, lux patriae, poſſe carere, meae?
O male ſit, quicumque fuit tam flebilis auctor
  Diſcidii, & longae cauſſa caputque fugae!
Sit male, qui laetae turbavit gaudia vitae?
  Diſpereat noſtris invida turba bonis!
Quo merui gravis eſſe tibi, mea patria, facto?
  Quo merui faſtus crimine, dura, tuos?
Jamne oneri Burmannus eram? jam taedia noſtri
  Fecerat ignavo marcida vita ſitu?
Jam tibi ter ſenos induſtria nota per annos
  Diſplicet, & celebri cura probata ſcholae?
Jam tibi dedecori ſum civis? & exigis ultro,
  Quem manibus finxit Graevius ipſe ſuis?
Graevius ille, tui laus non moritura Lycei,
  Qui teneas, dixit, quem tibi trado, locum.
Te ſocio vivens, te ſucceſſore videbor
  Poſt obitum ſtudiis conſuluiſſe bonis.
Te, patre prognatum, cui plus, quam reddidit umquam,
  Debuit Urbs, tempus ſervet in omne ſibi.
Huic placuiſſe ſat eſt; hoc laudatore ſuperbus,
  Deſpicio morſus, turba maligna, tuos.

Hoc

Hoc ego principibus me conciliante magiſtro,
 Iamdudum didici ſpernere vulgus iners.
Hoc duce Velthuſios juſſus celebrare penates,
 Te colui ſanctâ, Vir generoſe, fide.
Et tibi libertas, dum candor, & inſcia fuci
 Mens placet, & niveae ſimplicitatis amor,
Artibus egregiis meritos dum ponis honores,
 Burmannus memori dum tibi corde ſedet,
Non ego captabo ſtolidae ſuffragia turbae,
 Vilis & indoctae gratia plebis erit.
Te, vivam, pauciſque bonis contentus amicis,
 Quos colui, patriae ſidera certa meae.
Sors quorum mea viſa fuit; rebuſque ſecundis
 Praemia qui ſtudiis aequa dedere meis.
Nunc abitu flevere meo, retinere volentes
 Invitus patriam qui fugiebat humum.
Nomina, quae penitus noſtris infixa medullis,
 Non animo, ſuperet dum modo vita, cadent.
Sed quid ego ingratis turbo tua feſta querelis?
 Flebilibus non haec lux temeranda ſonis.
Non nego. Sed juſto veniam, Vir magne, dolori,
 Quem neque tu poteras diſſimulare, dabis.
Nonne ego, conſilium dubius cum mente rogarem,
 Sollicitii potui ſigna videre metus?

Quam

Quam tibi non ſtimulos injuria ſubdidit acres?
  Quam grave non frigus, quo feriebar, erat?
An tua ſuſtinuit, toties mihi blanda, favensque,
  Lingua profecturo dicere triſte vale?
Vellor ab amplexu, quaſi cras rediturus, amico,
  Sedibus & muto tecta paterna novis.
Nil tamen invenio, cur me migraſſe pigeret:
  Urbs, Schola, Rectores, Diſcipulique placent.
Obvia protendit venienti Leida lacertos,
  Et clamat, patria eſt haec quoque terra tua.
Ampla magis reſerat formoſior atria Pallas,
  Et cumulat titulis officioſa novis.
Praemia jam ſpondent Proceres mihi juſta laborum,
  Et repetunt fauſto murmure, noſter eris.
Confluit ad gratum pubes animoſa magiſtrum,
  Anguſta numerum vix capiente domo.
Omnia ſed dederis mihi cum, ſtudioſa, petenti,
  Heemſtedium referes num mihi, Leida, meum?
Hocne erit aeternum mihi Maecenate carendum?
  Hujus ab alloquiis ſemper an exſul agam?
Dî melius. Memor ille ſui cultoris, ut ante,
  Curam agit, & recreat corda favore novo.
Ecce venit, donis horti comitata beati,
  Velthuſii largà litera ſcripta manu.

Fert pyra, Phaeacis non inficianda viretis,
  Pomaque, Nympharum pollice digna legi;
Quae mihi, deliciis villae Dominique carenti,
  Taedia ſecreti triſtis acerba levant.
Haec quicumque meis miratur fercula menſis,
  Principibus patriae me placuiſſe ſciat.
Parsque licet ſtudiis infenſior, urbis alumnum
  Viderit optatos linquere lenta focos.
Poſteritas tamen aequa bonas intelliget artes,
  Meque patrocinio non caruiſſe tuo.
Tu modo vive bonis, & Vir cariſſime doctis,
  Et vacua laetos exige mente dies.
Perfruere, ex merito quos publica debet honores
  Res tibi; qua ſalva, tu quoque ſalvus eas.
Denique Natalis, qui ſurgis originis altae
  Conſcius, hac albis luce veharis equis.
Et quoties oreris, patriae nova gaudia terrae,
  Pulchrior o ſemper, ſplendidiorque, refer.

EUCHA-

EUCHARISTICON

AD

VIRUM PERILLUSTREM

ET

MUNIFICENTISSIMUM

THEODORUM

A

VELTHUYSEN,

TOPARCHAM IN HEEMSTEDE ETC. ETC. ETC.

PRO DONATA DELICATISSIMA VIRIDARII HEEMSTEDIANI TABULA.

Munera muneribus, meritisque recentia priſcis
Tot cumulas largà, Vir Generoſe, manu;

BIBLIOTECA NAZIONALE UNIVERSITARIA DI TORINO

Ut mihi deficiant jam, gratae pignora mentis,
  Verba, nec officio Muſa ſit aequa ſuo.
Parce, precor, tenero, qui lumina noſtra, pudori,
  Figit humi, quoties regia dona vident.
Lauta lares tenues decorat, Te dante, ſupellex,
  Divitiisque novis atria parva nitent.
Jam dicat, quicumque meas intraverit aedes,
  O Domus, Heemſtedii laeta favore ſui.
O felix Burmanne, Viri quem gratia tanti
  Ornat, & in paucis nomen habere jubet.
Creſcit ad effigiem quam non mihi blanda voluptas?
  Quam nequeo viſus exſaturare meos?
Haec toties rapuere oculos quae praedia noſtros,
  Haec toties noſtro preſſa vireta pede;
Hic ſacer horror agri, placidique ſilentia campi,
  Hoc nemus, haec ſaliens vena perennis aquae;
Floribus hi vernis, pictique coloribus horti,
  Haec patulis arbor luxurioſa comis;
Vimque novam feſſis inſpirans aura Camoenis,
  Umbraque, Piëriis grata latebra viris;
Et quae praeterea feſtivae gaudia menti
  Laetus agri genius, deliciasque facit;
Omnia quam nitidis ſpirant variata figuris?
  Quas ſolido mollis ducit in aere manus.

Jam

Jam mihi ridebunt media violaria bruma,
Non roſa, non ſaevo frigore caltha cadet.
Jam thyma perpetuos, & odores myrrha remittent,
Lilia florebunt candidiora nive.
Servabit, licet arva rigor premat, arbor honores,
Nec glacies fontis pigra gelabit aquas.
Nec mihi, deliciis ut ſe mens expleat iſtis,
Eſt opus hinc extra limina ferre pedem.
Mollia Muſeo frondent contermina Tempe,
Et videt adpoſitum bibliotheca nemus.
Heemſtedii prope jam ſpirans recreabit imago,
Membraque de ſtudiis feſſa novabit, agri.
Hujus ad effigiem quoties non dulcia ſponte
Carmina de vena divitiore fluent;
Denique, ni Domini traheret praeſentia lauti,
Jam videar ſacro poſſe carere loco.
Ne tamen invideam nimis his, qui rura beata
Aſſidue celebrant, laeta tabella, facis.
Tu facis, ut memori vivant ſub pectore ſemper,
Munificus Dominus, cum Dominoque locus.
Sed rubor ora notat, tenuem mens conſcia cenſum
Cum putat, & meritis verba minora videt.
Jam fortuna tuae, Vir felix, diſplicet impar,
Quod vetet officiis aequa referre tuis.

Sed neque, taurorum ſaturatus ſanguine, ſpernit
Jupiter exilis tura merumque viri.
Sic quoque tu donis ne dedignere reponi
Carmina, quae ſolae pauperis artis opes:
Proque tua fido ſuſcepta ſalute clienti
Vota, precor, grati muneris inſtar eant.
Vive diu rebus decus & tutela Batavis,
Vive diu feſſae portus & ara rati.
Auſpice Te Patriae melior revireſcat imago,
Sarciat & belli Pax bona damna feri.
Et duce Te ſtudiis adſpiret mollior aura,
(Nam placidas artes, unice fautor, amas)
Et nemus Heemſtedium jucundam vatibus umbram
Praebeat, ut Domini nomen in aſtra ferant.

LIBER-

LIBERTATIS BATAVAE IN LARARIO HEEMSTEDIANO DEDICATAE IMAGO.

CAndida Libertas, populi tutela Batavi,
Nec minus Heemſtedii numen & ara laris:
Sic pedibus juga fracta, diu, dominaſque catenas,
Vincta quibus fuerant libera colla, teras.
Sic, tua ne rodant aeterna ligamina mures,
In clypeo excubias ſedula felis agat.
Sic, nota vindictae, ſemper tibi pileus adſit,
Martia ſic dextrae ſit decus haſta tuae.
Caſſide ſacra ſedens hoſtes ſic terreat ales,
Detque Deus longa Virginitate frui.

VIRO

AMPLISSIMO ET NOBILISSIMO

JOANNI CORVERO

URBIS AMSTELAEDAMENSIS

SENATORI

ET CUM MAXIME NONUM DECIMUM

CONSULI,

QUINQUAGESIMUM, POSTQUAM AD REMPUBLICAM ACCESSISSET, ANNUM IMPLENTI,

FELICITER.

QUis ſonus Amſteliis, quis ſurgit clamor ab oris?
  Quis ſolito gravior ſidera plauſus adit?
Feſtane lux agitur, magnae natalibus urbis
  Conſcia, & indigenis annua ſacra refert?

Non

Non tamen aſſuetas videor cognoſcere voces,
  Votave, plebs anno quae redeunte facit.
Neſcio quod majus, quod ſanctius auguror eſſe,
  In nova quod cives gaudia, tempus, agat.
Nil niſi Corveri reſonat per compita nomen,
  Corverum repetunt atria, templa, domus.
Curia Iö geminans, & Iö ſine fine triumphans
  Ardet in applauſum Conſulis ire ſui.
Moenia tranſcendit ſublatus in aethera clangor,
  Et fragor adpoſitos publicus implet agros.
Dumque ſtupet feſtae vagus advena murmura turbae,
  Amſtela caeruleis erigit ora vadis.
Applaudenſque ſuis effuſa civibus urna,
  Accipe quae feſti cauſſa ſit, hoſpes, ait.
Non hac luce quidem nova vidi ſurgere quondam
  Maenia, quae noſtro nomen ab amne trahunt.
Nec prolata refert toties pomoeria tempus,
  Aut pro ſtramineis regia tecta caſis.
Sed fatis fortuna meae melioribus urbis
  Ante decem (memini) luſtra renata fuit.
Hac intrata fuit Corvero curia luce,
  Et juvenis primum fecit ad alta gradum.
Hoc nitor Amſteliis & lux nova prodita rebus,
  Nata mihi ſunt hoc vita ſaluſque die.

Quare agite, o cives, peregrinaque turba, quietas,
Divite qui ſedes hac poſuiſtis humo,
Conſulis ad veſtri ſimul accelerate penates,
Et bona tam pulchro dicite verba die.
Nec mora, concurrunt ſtudio concorditer uno,
Amſtelia quisquis fixit in urbe lares.
Pro ſe quiſque ſtudet venerandi Conſulis ora
Cernere, canitie conſpicuumque caput.
Tollitur immenſus reſerata per atria clamor.
Tectaque gratantum vox ſpatioſa replet.
Accipit admiſſos vultu, pro more, ſereno,
Et fruitur populi Conſul amore ſui.
Advolat hinc, operum conſors, ampliſſimus Ordo,
Hac ſua teſtantes gaudia voce, Patres.
Te duce, majeſtas noſtri veneranda ſenatus
Splendeat, o princeps conciliique caput.
Vindice te patrias leges & jura tueri,
Tradita per proavos, turba parata ſumus.
Te, liceat placidas artes, monſtrante, regendi
Diſcere, quîs populi conciliatur amor.
Luſtra decem nobis ſollertis ſenſa probaſti
Cordis, & ingenii grande capacis opus.
Sors gravis haud humilem, non vidit blanda ſuperbum,
Forte ſed in caſus pectus utroſque fuit.

Tem-

Tempora, quîs tibi ſe commiſerat Amſtela primum,
 Vidiſti ventis ire ſecunda ſuis.
Nubila mox patriae, geminamque minata procellam,
 Auſus es impavidis ſuſtinuiſſe genis.
Nec te mente tua domini frons dira prementis
 Depulit, aut populi caecus in arma furor.
At meliora ſimul feſſis rediere Batavis
 Secula, reſque ſtetit, quo fuit ante, loco;
Protinus excelſa tua libertatis ab arce
 Dextera ſigna bonis proſperiora dedit.
Nunc quoque quae ſequimur, ſine labe,diuque ſequamur,
 Et, duce te, rectum ſemper eamus iter.
O utinam rerum poſſit natura novari!
 Et redeant tibi qui praeteriere dies!
Stamina ſed quoniam fas non eſt ducta reneri,
 Certaque ſtant vitae tempora, certa necis;
Adjice de noſtris, vitae Deus arbiter, annis
 Tempora, longaevis adjice fila colis.
Ille vigor mentis ſpatio renovetur ab ipſo,
 Et meritum extendat longa ſenecta decus.
Vix ſuus, ingentes Corverus pectore motus
 Accipit, & ſua non gaudia mente capit.
Verba, ſalutanti quae reddat, comia, turbae
 Deficiunt, lacrimae laeta per ora cadunt.

Mox ligat amplexu, fraternaque pectora blandâ
Ducit ad inſtructas fronte manuque dapes.
Conſulis hinc genio libatur & urbis honori,
Qui fuit hoc ſummus frena tenente viro.
Dumque hilares celebrant felicia tempora, ſumto
Proque ſuo faciunt hoſpite vota mero.
Quiſque ſuo ſocio, cui proximus adſidet, inquit,
Aſpice quae nunc eſt Amſtela, quaeque fuit.
Dum pede inoffenſo ſummos decurrit honores,
Juraque Corverus civibus aequa dedit.
Vidimus innumeris peraratum navibus aequor,
Vix ratibus ſilva ſuppeditante trabes.
Mercibus Heſperiis dum merces mutat Eoas
Inſtitor, & claſſes non capit Ya ſuas,
Plena peregrinae rumpunt granaria meſſes,
Horreaque immenſo pondere preſſa gemunt.
India, Corvero, mittit, curante, quotannis
Quae repleant totum, qua patet orbis, opes.
Urbs anguſta nimis vix turbae ſufficit aedes,
Ponendis domibus deficiente ſolo.
Incola diverſi generis denſatur in unum,
Hoſpite vix ſedes inveniente novo.
Vix opifex, ubi facta manu ſub culmine tecti
Explicet, in tota repperit urbe locum.

Emta

Emta domus quondam, quam nunc tenebroſa taberna,
Vilius, & cenſum fornice dives habet.
Hanc quoque quae nunc eſt,&quae fuit,adſpice,quondam
Curia, quam lectos accipit illa viros.
Maxima Corveri manibus pars ficta, regentum
Munera prudentis diſcit ab ore ſenis.
Atque impreſſa ſui veſtigia Principis ardet,
Filius ut patris, certaque ſigna ſequi.
Poſcit ab experta quod proſit mente juventus
Conſilium, & vigili gnava labore juvat.
Has referens laudes, poſita inter vina, Senatus
Componit nitidum, ſole cadente, diem.
Nec minus exhilarant reliquos pia gaudia cives,
Publica privata qui prece vota juvant.
Cum pare quiſque ſuo convivia laeta frequentans,
Siccat ad accenſos pocula plena focos.
Et nova Corvero dum purpura ſumitur, optat
Ultima ne decoris meta ſit iſta Seni.
Nos quoque, quos urbis capit hoc florentis imago
Conſule, ſolvamus dulcibus ora modis.
J, licet Amſteliis impar, mea Muſa, Poëtis,
Feſtaque Corveri tecta, modeſta, ſubi.
Praebebit vacuus doctas tibi forſitan aures
Conſul, Apollinei fautor honorque chori.

Magna virum quamvis premat undique ſarcina rerum,
Non tamen averſa carmina mente leget.
Si quod agas nihil eſſe tibi, niſi fauſta precari,
Dixeris, & laeto laeta vovere die.
Vivat ut extento ſoſpes pater urbis in aevo,
Menſque ſit in firmo corpore firma magis.
Rebus ut Amſteliis, ita ſit tutela Batavis,
Et patriae curam ſemper, ut urbis, agat.
Longa ſit ominibus nuper pax juncta ſecundis,
Grataque cuſtodem Belgica pacis amet.
Caraque Libertas, hujus ſecura labore,
Rideat occultos diſcutiatque dolos.
Amſtelii ſic creſcat amor, populique Batavi,
Debitus & meritis multiplicetur honor.
Denique perpetuis, opera immortalia, faſtis
Condita, venturus laudet ametque nepos.

AD
JOH: BRANTIUM.

PRaeclarum accepi librum, doctiſſime Branti,
Et mens, tam grato munere, laeta fuit.

Proti-

Protinus eſt cupido luſtratum lumine, vix dum
Id tulerat nobis officioſa manus.
Ille quidem cedro labor eſt digniſſimus, utque
Æternum tribuat fama benigna decus.
Omnibus exemplum ponis venerabile Paulli,
Qui Chriſti caetus & pia ſacra colunt.
Brantius, a puero patrias formatus in artes
Qui vitam Paulli ſcriberet, unus erat.
Eloquium Paulli quod nobis redderet aptum
Ingenii ſterilis non erat illud onus.
Sufficis immenſo, Branti facunde, labori:
Nec grave materiâ debilitatur opus.
Quid reddam, Branti, quid mecum, grata reponet
Belgica, tam docto facta beata libro.
Ecce leves verſus, carmen pro munere, mitto.
Ponitur ante aras hoſtia ſaepe minor.
Jupiter ipſe, licet taurorum ſanguine laetus,
Non ſpernit mentis thura merumque piae.
Gratia cum nequeat pro dono digna referri,
Accipe muneribus verba repenſa tuis.
Sed tenuem, Branti, vocum contemnis honorem
Et prohibes, animi pignora, verba dare:
Imponis legem, cui non parere neceſſe eſt,
Ipſe vetas veſtras pondus habere preces.

Scili-

Scilicet ingrati poſcis ceſſaret amici
  Officium, & lento pectore verba premam?
Forſitan infirmo tua litera parcit amico,
  Et vetat ingenium prodere pauper amor:
Mens tua ſublimis coeleſti nobilis aura
  Deſpicit hos tenues, nec ſine jure, modos;
Et mea, ſi ſaperes, melius fortaſſe taceres:
  Quis furor eſt tanto ſcribere Muſa viro!
Sim licet inferior, magniſque paratibus impar;
  Officio famae damna rependo meae.
At tu, ſi mereor, ne dedigneris amicos
  (Jure ſodalitii poſco) ſubire Lares:
Illic appoſito curas lenire Lyaeo,
  Et poteris lepidis corda movere jocis.
Illic narrabis, quid tota Britannia rari
  Continet, & quantos videris ipſe viros:
Quae doctis, referes, luſtraſti nuper ocellis
  Scrinia, quam gazam terra remota tenet.
Haec, tu militiae dum narras facta, juvabunt
  Illa, mihi dulci commemorata ſono.
Quando erit, ut reducem cupide complectar amicum,
  Et pendere tuo detur ab ore mihi?
Branti, noſter amor, quid ceſſas lente, quid umbrae
  Haganae retinent gaudia noſtra. Veni.

MDCXCV.

IN.

IN HONOREM

Viri Clarissimi et Doctissimi

CORNELII van ECK,

Cum publicam Juris Professionem in Academia Ultrajectina auspicaretur.

JUris & intactae Themidis facunde ſacerdos
 ECKI, Piërii maxima cura chori.
ECKI, noſter amor, ſeu legum aenigmata ſolvis,
 Sive canis Latiis carmina culta modis.
Salve, Myſta ſagax, duplici mihi nomine ſalve,
 O ingens Themidis Caſtalidumque decus.
Palmam in utroque refers dubiam, incertumque relinquis
 Hujus, an illarum ſis ratione prior?
Non tibi de facie, non ullo cognitus uſu,
 Offero laetitiae nuncia verba meae.

Hoc demum officio (Carmen ſit muneris inſtar)
  Audet in aſpectum Muſa venire tuum.
Si tamen inculto doctas offendimus aures
  Carmine, ſpectetur nil niſi dantis amor
Accipe devotae mentis pia verba, juvabo,
  Si quid opis noſtrae, publica vota meis.
Felicemque meae Patriae, nobiſque precabor,
  Quo vix illuxit fauſtior ante, diem.
Civibus adſcriptus noſtris, ut magna Lycei
  Friſiaci nuper gloria, noſter eris.
Hoc tua praeclarum meruit fortuna theatrum,
  Haec demum ingenio eſt area digna tuo.
Et tu, quae tali dudum tibi plaudis alumno,
  Altius aërium, Gelria, tolle caput.
In tibi vicinâ deget tuus ECKIUS Urbe
  (Hei mihi! cur tantum non tulit illa virum.)
Non mare, non montes, ut amato cive fruaris,
  Longa nec, ut quondam, nunc ſuperanda via eſt.
Jam tua pignoribus committas pignora noſtris,
  Et capiat gentes Urbs, precor, una duas.
Fortunata cohors, hoc praeceptore, juventus,
  Quaeque eris inſigni cura futura viro!
Hoc duce vitatis ſcopulis, ambage reciſa,
  Tuta per Oceanum ſuſcipe juris iter.

Si

Si ſtudiis obſtant, vel ſi Compendia quidquam,
  Hoc auctore ſcies, utilitatis habent.
Legibus & quidquid quondam Romana vetuſtas
  Condidit aeternis, hujus ab ore fluet.
Scrinia Prudentum vobis occulta recludet,
  Juſſaque Caeſareae ſuſpicienda domus.
Cur mihi non, ECKI, te fas audire docentem?
  Cur non ſum veſtrae pars quoque magna Scholae?
Me tibi conjungant communia ſacra, nec inter
  Diſcipulos renuas nomen habere meum.

HONORI ET MERITIS

NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI

VIRI

GUILIELMI VAN DER MEULEN,

DOMINI DE OUDBROUKHUYSEN, &c.

DIVINUM

HUGONIS GROTII

DE

JURE BELLI AC PACIS LIBRUM

UBERRIMO COMMENTARIO ILLUSTRANTIS.

POſceris egregii quid laudes condere civis?
In pia, quid vires, carmina, Muſa, negas?

Nunc

Nunc mea coeleſti deberent igne calere
  Pectora, nunc ſolito major adeſſe furor.
Grotius eſt, Batavae decus indelebile terrae,
  Qui vocat, Aoniae plectra movete Deae.
Vos vocat Auſonio princeps in carmine vates
  Grotius, & placidae primus in arte togae.
Cara, quid ad tantum rubuiſti, Patria, nomen?
  Cur tua purpureus ſerpit in ora color?
Non venio ingratae tibi crimen dicere mentis,
  Non animus querulos eſt iterare ſonos.
Difficili quamvis cauſſae tamen ipſe favebo,
  Mite patrocinium, ſi petis ecce, dabo.
Temporibus tribuas, per me licet, omnia duris,
  Abſit & a facto culpa ſcelusque tuo.
Non deerunt exempla, tuum quae crimen obumbrent,
  Quaeque probent eadem fata tuliſſe bonos.
Turpiter a patria diſcedere cogitur urbe,
  Cui tulerat validam ſaepe, Camillus, opem.
Scipio, cui titulos & victa dat Africa nomen,
  Ad patrios nequiit conſenuiſſe focos.
Majus Ariſtide nihil adſpexiſtis Athenae,
  Teſſera tam juſtum pellit iniqua virum.
O utinam pars haec faſtorum nigra lateret,
  Credere nec vellet facta pudenda nepos.

Nunc, licet, emendet contractam Belgica noxam,
  Dic modo peccati te piguiſſe tui.
Ampla novercalem tibi nunc detergere labem
  Copia, nunc famae damna levare potes.
Si modo, quae patriam ſervatis legibus intrant
  Excipias ſummi ſcripta verenda viri.
Exſulis extincti, mater pia, ſuſcipe prolem,
  Sentiat officium nigra favilla tuum.
Sit licet hic patriis foetus non editus oris,
  (Hoc de te ſpolium nobile Gallus habet)
Injice blanda tamen redeunti brachia nato,
  Utere natali, dic, mea cura, ſolo.
Hic tibi ſit requies longis erroribus acto,
  Sedibus his poteris tutus, ut ante, frui.
Et ſi forte nequit pietas te ſola movere
  Utilitas precibus pondera juſta dabit.
Grotius ut placeat palmas non tendit inanes,
  Supplicibus jungit ſplendida dona ſonis.
Aſpice quae portet tibi pagina nobilis hoſpes,
  Aſpice quas pandat pagina dives opes.
Regibus haec cupidis, haec leges charta tyrannis
  Scribit, & aequato vivere jure docet.
Impia ne poſſet quis bella movere per orbem,
  Foedera vel tectis rumpere ſancta dolis.

De-

Debilior forti ne praeda parata latroni,
Aut cadat infeſto juſtus ab hoſte, cavet.
Prodidit haec, Grajis Latiiſque intacta magiſtris
Grotius ille tui clarus alumnus agri.
Nunc nova doctrinae lux veſtris naſcitur altae
Finibus, & gemino tollis honore caput.
Grotius inventi ſit clarus laude, nec ullum
Huic tulerunt ſimilem ſaecla vel ora virum.
Proxima Meulenus tibi, Patria, cauſſa decoris;
Altera ſublimi pone tropaea loco.
Abdita Meulenus ſcriptis ſapientibus orbi
Explicat, & multo lumine ditat opus.
Sufficit ingenium magno ſublime labori,
Nec robuſta gravis ſarcina membra premit.
Sic decet, immani ſupponere languida moli
Brachia, quae nequeunt pondera ferre, nefas.
Sic quæ Maurus Atlas humeris vix fulſerat olim,
Viribus Alcides non minor, aſtra gerit.

MDCXCVI.

IN

IN NOBILISSIMI POËTAE

LUCÆ ROTGANSII

GULIELMUM III.

CARMINE HEROICO EXPRESSUM.

BElgica ſe dudum magno jactabat Alumno,
  Laetaque erat tantum ſe genuiſſe Ducem.
Pellaeum Juvenem quid, mendax Graecia, dixit,
  Roma quid invicti Caeſaris arma crepas?
Inclytus Auriaco prognatus ſanguine Princeps
  Verior eſt Batavi gloria lausque ſoli.
Hic unus veterum Regum monumenta Ducumque
  Vincit, & hos ipſos poſt ſua terga videt:
Aſſenſere omnes: & toti, qua patet, orbi
  Belgica tam claro viſa beata Duce.

Unica

Unica res deerat; Vates, qui Principis acta
  Conderet, in magnos ſufficeretque ſonos.
Qui pede Maeonio Mavortia facta referret,
  Virgiliique modis grande moveret epos.
Senſit, & erubuit; digno praecone quod orba,
  Qui caneret tanti Principis arma, foret.
Et mihi materiem cum det Gulielmus opimam,
  Non deerit Patriae laus, ait, iſta meae.
Sed neque de medio (nam nulla hinc gloria) vates,
  Qui caneret tenui carmine bella, placet.
Laſſaret rerum communes turba Poëtas,
  Frangeret infirmas ſarcina tanta manus.
Rotgansi Clio (nam ſufficit illa labori)
  Principis indomiti fortia geſta canat.
Illi Pegaſides ſublimia carmina dictant,
  Auratamque dedit flavus Apollo lyram.
Jamque opus aggreditur magni Rotgansius oris,
  Nec premit impoſitum nobile pectus onus.
Belgica tolle caput; gemino praeſignis honore,
  Auriaci cunis nobilitata Ducis.
Nec minus ingenio ſublimis clara Poëtae
  Belgica ſidereum tolle, ſuperba, caput.

MDCXCVIII.

IN

VIRI ERUDITISSIMI

ADRIANI PARSII,

INDICEM BATAVICUM.

GRaecia ſolertum genetrix foecunda virorum,
Ingenii nimium dote ſuperba ſui.
Sola ſuper populos, inventis artibus, altum
Extulit, aeternûm nobilitata, caput.
Laus tamen illa brevis: nam gratos ante receſſus
Poſtea Pegaſides deſeruere Deae.
Helladis afflictae Mavortia Roma ruinis
Crevit, & in Latium tranſtulit omne decus.
Hinc tulit in domitas ſtudium, cum legibus, urbes,
Queis pretium dempti littera juris erat.
Aſpera barbariem poſuit, dum Gallia ſervit,
Victus Iber didicit verba Latina loqui.
Ingenium Batavo non hac mercede placebat;
Blanda recuſabat praemia ferre jugi.

Bella

Bella ferox tantum pro libertate movere
Noverat, & forti mittere tela manu.
Doctus equos agitare feros, tranare paludes,
Et quaecumque gravis munia Martis erant.
Unica ſed deerat majorum gloria famae,
Qua poterant priſcis gentibus ire pares.
Cultus ut a vaſtis aberat pulcherrimus arvis,
Sic mens dura viris, & rude pectus erat.
Depuduit Batavum; nec, cum mihi caetera conſtent,
Deficiet Patriam laus, ait, illa meam.
Tota licet tellus Romanis ceſſerit armis,
Et non invitâ vincula mente gerat.
Non Tu Roma mihi, nec ſunt tua munera tanti,
Ut dominam bello ferre ſubacta velim.
Liber ego Auſonios ſpoliabo hac laude nepotes,
Et figam ingenuâ celſa tropaea manu.
Et, mea ſervitio qui ſubdere colla negavi,
Innocuas artes pacis ab hoſte feram.
Quaeque triumphali mea tempora cingere lauro
Sueverat, Aoniam docta Minerva dabit.
Tu modo, Nata Jovis, Tarpejos linquere colles,
Et Tiberi Rhenum praepoſuiſſe velis.
Jam tua degeneres contemnunt ſacra Quirites,
Ecce vacant foedo templa relicta ſitu.

Tu poſitis paſſim Dea ſola vocaberis aris,
  Tu patrium nobis unica numen eris.
Dixit. Et ad bifidi properat dum cornua Rheni,
  Afflavit Batavos numine Diva ſuo.
Protinus ingenuas gens diſcit mitior artes,
  Et ſtudiis ingens gloria lausque venit.
Jam, Tibi quos fas eſt opponere, Graecia, cernit,
  Jam, Tibi quos referat, Roma ſuperba, viros.
Maxima doctorum vis tempore crevit ab illo;
  Aſpice, qui dubitas, hoc modo, Lector, opus.
Parsius, antiqui doctiſſimus accola Rheni,
  Non Stygia cives nocte latere ſinit.
Quos tenebrae obruerant, aevique oblivia, luci,
  Inclyta tot Patriae lumina, reddit avos.
Jam legere, & doctos Majorum noſſe labores,
  Temporis & longi grande videre decus.
Jam potes illuſtres venerari, Patria, manes,
  Claraque, ſive ſago, nomina, ſive toga.
Ite per exemplum ſoboles modo vera priorum,
  Ite, nec eximios degenerate Patres.
Et tu, qui noſtrae ſtudioſa volumina terrae
  Volvis, & haec Parsi ſcripta polita legis.
Dic Patriae bene, laete, tuae, quae tot tulit olim
  Sidera; qui retulit, dic bene, grate, Viro.

M.DCCI.

DEDI-

DEDICATIO
DISSERTATIONIS
DE VECTIGALIBUS POPULI ROMANI ANNO 1694.

ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

VIRO

D. D. EVERARDO DE WEEDE,

TOPARCHAE DE WEEDE, DE DYKVELT, RATELES. &c. COLLEGII BEATAE MARIAE DECANO. ORDINUM TRAJECTENSIUM PRAESIDI, ET EORUM NOMINE AD COMMUNES FOEDERATORUM POPULORUM ORDINES LEGATO, AGGERUM, QUI SUPERIOREM LECCAE PARTEM COERCENT, PRAEFECTO. MULTIS LEGATIONIBUS PRO REPUBLICA BATAVA CUM GLORIA DEFUNCTO.

STemmatis antiqui ſoboles generoſa, Parentum
Gloria, WEDEAE maxime gentis honos.
Cui nihil arte togae par ſaecula priſca dedere,
Nec tulit aequandos Belgica laude viros.
Exiit auſpiciis veſtris ſuprema Parentis
Cura, patrocinio nunc quoque laeta tuo.

Auſpice te, primos conatus filius edit,
  Judiciumque ſubit pagina noſtra tuum.
Nec bene ſe, rector niſi ſit qui temperet, audet
  Parva procelloſo credere cymba mari.
Tu mihi praeſidium, tu primos dirige curſus,
  Siſque, precor, timidae portus & aura rati.
Excipe devotum pacata fronte libellum,
  Ad te confugiens reſpice, mitis, opus.
Sit licet indignum, nec quod tua lumina multum
  Detineat, leviter perlege, parva mora eſt.
Quum nequeat pretio, forſan brevitate placebit,
  Eſt ſatis haud longum diſplicuiſſe tibi.
Temporis at minimum cum dent tibi pondera rerum,
  Nec vacet exiguum pervolüiſſe librum.
Carmen, & haec (placeant quae te Duce laeta moventur)
  Pauca legas animi verba miniſtra mei.
Forſitan & molles delectent otia verſus,
  Et minuant curas carmina lecta tuas.
Quid precor inſanus? quo me meus abripit ardor?
  Pectore quid foveo gaudia vana meo?
Maxima quum Batavi te moles nominis urguet,
  Belgica nec vacuum te jubet eſſe ſalus.
Scilicet ut noſtras, iſta ſtatione relicta,
  Perlegeres nugas? improba Muſa rogat.

Par-

Parcaque qui propriis impendis tempora curis,
  Excutias, audax, otia noſtra, petit?
Inſpice (& haec noſtri jam ſit pars maxima voti)
  Quae titulus prima nomina fronte gerit.
Invenies illic mentis pia pignora gratae,
  Meque tui immemorem pagina prima negat.
Sum memor, & longum cognoſcit noſtra favorem,
  Quem toties ſenſit, te cumulante, domus.
Muneris eſſe tui, ſi quid ſumus, omne fatemur,
  Et factum cura credimus eſſe tua.
Ut tamen his meritis reddatur gratia, non eſt
  Ingenii, ſcis hoc, debilioris opus,
Nec mea Muſa, modis forſan levioribus apta,
  Audet in immenſum pandere vela fretum.
Ludimus in parvis, virtus tua carmine major,
  Imminuitque tuum noſtra Thalia decus.
Te celebrent alii, quorum, (ſic namque mereris)
  Pectora Phoebeus concitat alta calor.
Hi tua Maeoniis includant verſibus acta,
  Nomen & ingenti, quo decet, ore canant.
Debita qui reddant factis praeconia tantis,
  Ut par ſit meritis jam tua fama tuis.
Quid Patriae praeſtes nobis ſentire, ſed illis
  Prodere vena equidem fertiliore datur.

Sci-

Scimus (& hoc omnis ſcit mecum Belgica) curas
  Quas tu pro dubia ſponte ſalute ſubis.
Nunc procul a laribus, dum noſtris imminet oris
  Marte ferox Gallus, cogeris ire tuis.
Adflictus te poſcit Iber, ſociique trementes
  Ut repares blanda vulnera voce rogant:
Dexter ades, tua res lapſas praeſentia firmat,
  Et ſtat conſiliis publica cauſſa tuis.
Nunc revocat patriae te cura domeſtica terrae,
  Teque ſibi incolumem Belgica laeta videt.
Non timor aut hoſtis, non mille pericula terrent,
  Et toties dubias iſque rediſque vias.
Non grave detractas, iſta jam aetate, ſed ultro
  Utilior patriae, quam tibi, munus obis.
Nec tibi cum reliquis laus eſt communis, at omnis
  Ingenio & cura gloria parta tua.
Vive diu Patriae, quae te ſecura Parentem
  Dicit, & hoc tantum gaudet habere decus.
At tibi contingat, ſecli lux maxima noſtri,
  Semper honorato vivere poſſe loco.
Sic tibi creſcat honos, tibi ſic, quem facta merentur,
  Reddatur Batavi, qua patet, orbis amor.
Quem tibi ſi praeſens ingrata negaverit aetas,
  Praemia poſteritas digna labore dabit.

Ultraj. Kal. Jul. CIↃIↃCXCIV.

DE-

DEDICATIO

EDITIONIS MINORIS OVIDII AN. 1714.

VIRO PERILLUSTRI ET EXCELLENTISSIMO

THEODORO

A

VELTHUYSEN.

TOPARCHAE IN HEEMSTEDE, &c. ORDINUM TRAJECTINORUM PRAESIDI &c. &c. &c.

GRande decus Procerum, ſancti pars prima Senatus,
  Nec minor Aonii fautor amorque chori.
Si nitor eloquii, cultaeque potentia linguae,
  Pura vel ingenii vena placere poteſt;
Si Venus & Charites, & Amoris blanda venuſtas,
  Si juvat Auſonio Grajus in ore lepor.

Suſcipe Peligni divina poëmata Vatis,
  Et ſubeat faciles nobilis umbra lares.
Quae, memor immeritae violenti Caeſaris irae,
  Hoſpitii toto quaerit in orbe locum.
Tendit ab Euxinis Naſo tibi brachia ripis,
  Et placidos portus confugiumque petit.
Frigoris impatiens, hirſutus ab axe Boreo,
  Ut foveas Batavo membra tepore, rogat.
Et, quem non Iſtri potuit glacialibus undis,
  Heemſtedio ſperat fonte levare ſitim.
Si licet has Muſis ſacras celebrare latebras,
  Exilium numquam mitius ille petat.
Nec gravibus molles incendat queſtibus auras,
  Aut Latio cupiat rurſus, & Urbe, frui.
Has habitet ſedes; rabidae jam Caeſaris irae
  Fulminei grates officioſus agat.
Triſtia nec patriae tot carmina fundat amore,
  Laetus at Heemſtedium nomen ad aſtra ferat.
Nos quoque, Naſoni ſtudioſa caterva, Poëtae,
  Ibimus in laudes, obſequioſa, tuas.
Tu modo, quem lacrimis Caeſar precibuſque negavit,
  Ferreus, auſpicio des meliore locum.
Pande, precor, tutos, viridaria culta, receſſus,
  Et recreet longam laetior umbra fugam.

Te

Te domus, exſulibus ſemper reſerata, Thuani
  Exemplo moveat, Vir generoſe, ſuo.
Principis hic rabiem, patriaeque immane novercae
  Dum ſcelus, & diri carceris antra fugit,
Grotius, ille lyrae decus immortale, togaeque
  Fama, peregrini ſenſit amoris opem.
Heinſius, ut profugis pia tecta patere Poëtis
  Senſit, & hic miſeris otia laeta dari,
Colligit è Scythicis cineres Naſonis arenis,
  Inque Thuaneos tranſvehit oſſa lares.
Et Batavo ſocians Peligni ruris alumnum,
  Fert bene compoſito debita juſta pari.
Doctaque, ne premeret manes per ſecula crimen,
  Mite patrocinium vox utriuſque ſubit.
Sit licet inferior tanto mea Muſa Poëta,
  Carminaque e venà pauperiore fluant.
Tu tamen Heemſtedio, quam Maecenate Thuano,
  Laetior, e Scythico frigore, Naſo, redi.
Hujus ut in ſacrum fueris penetrale receptus,
  Pars exhauſta tui magna laboris erit.
Tu modo ſquallentes, luctus inſignia, veſtes
  Pone, nec hirſutis conſpiciare comis.
Criminis Heemſtedio demet manus auſpice noſtra
  Dedecus, in cineres officioſa tuos.

Hoc duce, dum terſis maculas mea cura libellis
  Detrahit, immunda ſabe levatus eas.
Quae negat ingenium, bona carmina cauſſa miniſtret,
  Armaque pro miſero det mihi vate dolor.
Caeſar, inhumano Buſiride ſaevior, & qui
  Innocuos lento torruit igne reos.
Tene Patrem patriae, ſervatoremque Quiritum,
  Dixit adulanti Curia ſerva ſono?
Si pudor, Actiacas de limine dejice lauros,
  Civilique truces tingue cruore fores.
Quercea, ſervatos cives mentita, corona
  Terribilis dira Regis ab arce cadat.
Efferet edictum poſtes immane Tyranni,
  Quo fuga Naſoni juſſa cruenta fuit.
Hoc legat; &, vatem, miſerans, clementis adeptus,
  Poſteritas, famam Principis unde, roget.
Tune Cytherea deducis origine ſtirpem,
  Caeſar? & Idalii frater Amoris eras?
An pius Anchiſae generis tibi filius auctor?
  Qui Veneri carum pellis ab Urbe caput.
Te lupa, Martigenae quae praebuit ubera proli,
  Caucaſea genuit te fera matre tigris.
Romaque, te domino, ſeptem de collibus undas
  Per medium vidit ſanguinis ire forum.

Cae-

Caedibus ipſa Deûm maduerunt templa; cruentis
Incaluit guttis Caeſaris ara Patris.
Nec ſatis hoc tibi, dire, fuit, tot funera mentem
Triſtia non poterant exſaturare feram.
Artibus exitium, ſtudiiſque, immane parabas,
Et famulà doctas Urbe fugare Deas.
Scilicet haec lex eſt violentis una Tyrannis,
Ingenii claros tollere dote viros.
Sic animoſa Parens, te proſcribente, ſecuri
Tullius eloquii colla ſecanda dedit.
Perque pias lacrimas rorantia ſanguine vidit
In roſtris populus Conſulis ora ſui.
Ne foret, oppreſſis quae libertatis amorem
Redderet, aut odium, lingua diſerta, jugi.
Secula quid jactant nobis felicia: culto
Quîs honor eloquio, te dominante, fuit?
Principe te, vocis Facundia perdidit uſum,
Linguaque, quam ſtupuit Curia, muta fuit.
Nec jugulare caput vocis contente ſolutae,
Aonias Latio pellis ab orbe Deas.
Quaeque Aganippeos mutârant Thybride fontes,
Barbare, Biſtonias cogis adire nives.
Caeſare te, Naſo, Romanae gloria Muſae,
Jam diſcit Scythicè Sarmaticèque loqui.

Quaeque prius gentem rapiebant culta togatam
  Carmina, naturae luxuriantis opes,
Devovet, & patriae perdens commercia vocis,
  Braccatis recitat ſemilatina Getis.
Ferreus ingenium fregiſti nobile, quo non
  Cultius in Latio fertiliuſve fuit.
Nec pudet hanc triſti cauſſam praetendere poenae,
  Carmina quod teneris luſerit ante modis?
Cur, tibi qui toties vitam moreſque probavit,
  Projicitur, nullo crimine notus Eques?
Curque, nihil juveni quae carmina laeta nocebant,
  Exilium miſero triſte dedere ſeni?
Cur agis in ſanctum, veteris ſub imagine culpae,
  Terribili fulmen ſaevus ab arce caput;
Nec ſcelus objicitur, nec lex temerata; ſed error,
  Atque oculos probris inſeruiſſe tuis.
Quod tua, vel ſtirpis ſpectarit crimina veſtrae,
  Plectitur; ô poenae cauſſa pudenda ferae!
Res caret exemplo. Sub diris triſte Tyrannis
  Exitium paucis lingua proterva dedit.
Huic animi nocuit truculentia; concidit alter,
  Qui pia pro raptis legibus arma tulit.
Sed nova poſt homines, oculos habuiſſe nocentes,
  Principe te, natos culpa reperta fuit.

Cri-

Crimine perpetua damnatus nocte vacaſſet,
  Et patria caecus non caruiſſet humo.
Tutus adulterium potuiſſes, luminis expes,
  Furtaque laſcivae, Naſo, docere Deae.
Nec cenſura tibi caſti metuenda fuiſſet
  Caeſaris, exemplo qui favet ipſe ſuo.
Et qui legitimos temerare libidine lectos,
  Flagitium numquam credidit eſſe viris.
Livia teſtetur, praegnans abducta marito,
  Ederet ut foetum patris in aede ſui.
Te Tertulla, gravi laſſatum pondere rerum,
  Te tenero fovit Salvia moecha ſinu.
Mox Rufilla ſalax laſcivis implicat ulmis,
  Forma Terentillae mox ſpecioſa trahit.
Et gremio detracta placet de Conſulis uxor,
  Quaeque redux Veneris ſigna recentis habet.
Verum ubi conſuetae faciunt faſtidia formae,
  Nec ſatis haec moecho, nec ſatis illa placent:
Corpora mangones conquirere pulchra jubentur,
  Quae poſita ſpectet veſte ſuperbus herus.
Ludere furta Deûm dubitat neque falſus Apollo,
  Numina dum bis ſex Mallia ſola videt.
Principe ſic agitur puro cenſura: Poëtis
  Nil opus eſt, juvenes, qui male ſtupra docent.

Naſo,

Naſo, quid obſcaenas tam caſtis auribus artes,
Et quereris molles diſplicuiſſe modos?
Cur opus adfectas, quod legum tetricus auctor
Vindicat, ut populo conſulat ipſe ſuo.
Regis ab exemplo praecepta ſalubria pubes
Romula, cumque nuru mater honeſta petat.
Exſulet in Scythico Romanus litore Vates,
Cedat adulterii doctor ab Urbe pia.
Non bene ab ignaro diſcuntur ſtupra Poëta,
Qui, quia non novit, furta docere nequit.
Legis Jüleae Caeſar ſine crimine vindex,
Aptior ad Veneris gaudia doctor erit.
Non docet ille rudes cuſtodem fallere matres,
Aut vigilis curam decipere arte viri.
Non hic blanditiis, non expugnare puellas
Munere, non doctis ſollicitare modis;
Sed rapere e gremiis nuptas confeſſus adulter
Imperat, & coram jungere membra viro.
Pellicibus replet laſciva Palatia Caeſar,
Turpia quas cogunt regia juſſa pati.
Tarquinii proles cur haec non tempora vidit?
Romanas licuit quîs temerare nurus.
Tuta ſub Auguſto laſcivia tanta fuiſſet,
Nec patrias natus praecipitaſſet opes.

Len.

Lentus adulterium, tu Collatine, videres,
Et veniam ſceleri, Brute quiete, dares.
Nulla ſub hoc dubium faceret Lucretia regnum,
Raptaque ſervares ſceptra, Superbe, manu.
Moribus his, demens, artes componis amandi,
Naſo, parum ſecli gnare Poëta tui.
Quis ſtupor hic, nulli non cognita tradere chartis?
Peccat ad exemplum cerea turba ducis.
Quis media de plebe puer, quae virgo, vel uxor,
Quae rudis, Auguſto regna tenente, fuit?
Innocuos quid, ſtulte, jocos, ſecuraque credis
Carmina, nec capiti perniciosa tuo?
Laeta verecundae quid ſperas otia vitae?
Liberius quamvis Muſa jocata foret.
Falleris, o Naſo: turpis ſub Principe vita
Tuta; ſed ingenium, lingua, ſtiluſque nocent.
Arripit in crimen, quidquid vult, ſaepe Tyrannus,
Et ſpeciem juſti vindicis inde petit.
Nec bona jurato ſub judice quaeritur umquam
Cauſſa, nec arbitrium mite Senatus agit.
Nutrit adulator commoti Principis iras,
Incitat & ſaeva pectus, agitque, face.
Adjicit inſano furioſa Calumnia vires,
Poenaque vix noto crimine certa ſedet.

Invehitur diris mox triſtis epiſtola verbis,
  Quae patriis miſerum cogit abire focis.
Haec ſtudiis merces, teneri Praeceptor Amoris,
  Eſt data (nec potuit Muſa vetare) tuis.
Ferreus, ingenio qui te juveniliter uſum,
  In Scythiam cenſet promeruiſſe fugam.
Mitius exilium ſed ne propiuſque daretur,
  Principe lenito, culpa, Poëta, tua eſt.
Turpiter abjectâ blandiri mente Tyranno,
  Et dominum placida flectere voce ferum;
Errorem, culpamque, & non admiſſa fateri
  Crimina, nec firmo pectore fata pati;
Dedecorat vatem, patriam qui fortibus eſſe,
  Sub liquido, docuit, qua patet axe, ſolum:
Verſus ab ingenuis famulas deformis ad artes,
  Infami maculas facta priora notâ.
Nec tam Pierius Scythico ſub ſidere fervor,
  Carminis aut abiit ſpiritus ille ſacri.
Libera quam, miſeris quae dat nova robora, virtus
  Excidit, & mentis facta ruina bonae.
Triſtia, quîs laeſum tentaſti frangere numen,
  Carmina, ſervilis pignora mentis habent.
Quae licet ingenio laetis vix cedere conſtet,
  Nemo tamen turpi labe carere negat.

Sed

Sed veniam miſero facilis concede Poëtae,
  Lector, inhumani Caeſaris uſque memor.
Hunc, Getica voluit tellure quod oſſa recondi
  Exſulis, invidiae pondera juſta premant.
Et quoties Latio meminit Naſonis ademti
  Poſteritas, duras commiſerata vices,
Quo patriam & leges Auguſtus preſſit avitas,
  Devoveat famuli pondus herile jugi.

DEDICATIO

ANTE EDITIONEM PHAEDRI 1698.

VIRIS

NOBILISSIMIS AMPLISSIMIS

D. EVERARDO

A

SYPESTEIN, M.D.

ET

D. ARNOLDO SPOOR, J.V.D.

URBIS TRAJECTINAE CONSULIBUS, ET UNIVERSO ORDINI SENATORIO CLARISSIMO.

URbis vetuſtae, pulchro Rhenus alveo
Quam perfluit, nulli ſecundus amnium,
Patres conſcripti, civiumque Principes,
Doctâ Libellum Phaedri conſcriptum manu,

Aeſopi

Aeſopi ingenio ſed qui debetur ſenis,
Noſtra autem cura ornatu qui prodit novo,
Et fronte laeta & mente placida recipite.
Non ille veſtro indignus eſt qui lumine
Labor luſtretur: nam ſub illis naeniis
Ingens utilitas & magnus fructus latet.
Nec ſolum riſus excitatur fabulis,
Nec omnis opera pueris haec inſumitur,
Ut delectentur genere ſcribendi hoc levi,
Et imbecillos ſubeat admiratio,
Quae facile lepidis ex fabellis naſcitur.
Duplex libello dos eſt: & viri graves,
Aurem jocantes fictis praebent fabulis;
Et aliter pueri, has aliter perlegunt ſenes,
His involucris priſtini mortalium
Doctores, atque naris emunctae viri,
Eous orbis quos in lucem protulit,
Prudentis vitae deſcripſere imaginem,
Quave arte poſſet corrigi mortalium
Docuerat error atque mentis coecitas.
Quos inter omnes Phryx, Aeſopus nomine,
Novo ſcribendi genere eſt uſus & ſtylo,
Nec ſingulorum morem verbis aſperis
Notare, aut, ut ſeveris mos doctoribus,

Oratione & verbis gravibus tradere
Praecepta voluit civibus prudentiae.
Sed doctis maluit jocari fabulis,
Feraſque mutas paſſim & mutas arbores,
Narrantes caſus induxit mire ſuos.
Exempla mentes hominum callebat magis
Motura, triſtioris quam frontis minae,
Aut praeceptoris trux & vultus horridus.
Inſuaves aeger ſemper herbas reſpuit,
Quamvis ſalubre non attingit poculum,
Amaro quod puer ſcit plenum abſinthio,
Sed Medicus oras circum prudens poculi
Dulces liquores, ut ſorbitio grata ſit
Inducet. Spernit & mens omnium fere
Mortalium ſeveras cenſorum notas,
Uri, ſecari cruda ferro vulnera
Nolunt, ſed blanda leviter tractari manu.
Hoc vidit ille, cujus nunc damus jocos
Aeſopus, auctor doctrinae bonus novae,
Qui famam aeternam ingenio condidit ſuo,
Fuiſſe gentes quem volunt omnes ſuum.
Cui, ſervo, ingentem ſtatuam poſuere Attici,
Cujus mirata eſt quondam ſtudium Graecia,
Quem, quicquid orbis umquam doctorum tulit,

In

In coelum laudibus invidendis extulit.
Hujus lepores & doctas facetias,
Politis Phaedrus quas expreſſit verſibus*,
Quos quondam cupidis Roma legit auribus,
Thraciſque cultos jure mirata eſt modos,
Et qui Piërio ſemper placuerunt choro,
Sed quos prioris ſeculi infelicitas
Aeterna, ut multa, paene nocte merſerat;
Nunc vero cura & diligens induſtria
Doctorum luci & aevo longo reddidit,
Veſtro dicare, Ampliſſimi, viſum eſt, Patres,
Et quamvis impari, Phaedri tamen ſtylo,
Leve hoc munusculum commendare Ordini.
In laudes non ut veſtras verſibus his eam,
Aut illud ſtudium, quo fovetis artium
Antiſtites bonarum, verbis efferam,
Hoc eſt Heroi, non Senarii pedis
Opus: non levibus magna conveniunt modis.
Sed grata vobis mens ut conſtaret; Patres,
Et literati, quod feciſtis, otii
Reddatur ratio: nam cum veſtro munere
Pars eruditi nuper ſim factus Chori,
Noſtraeque curae ſit juventus tradita,
Prudentis prima vitae elementa ut diſceret,

Non alter occurrebat aptior labor,
Et auſpicarer melius quo provinciam,
Animumque memorem declararem publice,
Quam ſi fabellas & doctos Phaedri jocos,
Queis pubis imbecillae mentes imbui
Et ad prudentiam conformari expedit,
A labe multa & infinitis ſordibus
Purgatos cura doctorum reducerem.
Vos civem veſtrum, vos Alumnum patrii
Lycaei, Proceres, haud indignum credite,
Favore veſtri qui foveatur Ordinis.
Nam noſter omnis publico labor bono,
Et urbis & Lycaei veſtri commodo,
Veſtriſque cura filiis impenditur.

DEDICATIO

ANTE EDITIONEM VALERII FLACCI 1724.

NOBILISSIMO JUVENI

JOANNI BRYDGES,

MARCHIONI ET COMITI DE CARNARVAN, FILIO MAJORI ILLUSTRISSIMI DUCIS DE CHANDOS.
&c. &c. &c.

TEmporis obſcuri levibus miracula chartis
  Quid juvat, indoctum, prodere, vulgus ait.
Ficta quid ad curas & publica munia natis
  Fabula, quid monſtris pagina plena facit?
Carmina, delirae narrantia ſomnia mentis,
  Diſcere, quae merces digna laboris erit?

Quid, niſi garrulitas, ſtudiumque pudenda docendi
  Turpe, Poëtarum pectus & ora movet?
Quis, niſi vel puer, aut numquam laſſata loquendo,
  Dum ſiccat calices, his capiatur anus?
Quis furor, excelſas per ludicra ducere mentes?
  Quid Juveni caecas proderit ire vias?
Quid Thebae, quid Troja fuit, niſi deſidis otî,
  Nequiter & venae luxuriantis opus?
Crimina, mentis inops, veterum monſtroſa Deorum,
  Credat, & Heroum facta nefanda legat.
Credat Jolciaco penetratum remige Pontum,
  Et vaga Divarum ſaxa retenta manu.
Quinquaginta Aſiam, temerata tot aequora, nautas,
  Colchiacosque una puppe obiiſſe ſinus:
Terrigenas ſtultus credat de dentibus ortos,
  Jugeraque armatos progeneraſſe viros.
Pervigilem magicis ſopitum cantibus anguem,
  Et ſanie tumidum depoſuiſſe caput.
Naribus aeripedes flammas vomuiſſe juvencos
  Et tamen adflatu non nocuiſſe Duci.
Credat & hunc validis armatum fulva venenis
  Vellera Mavortis deripuiſſe tholo.
Et quae plura fide, frontis gens dura ſeverae,
  Truxque magiſtrorum turba, carere jubet.

Ce-

Cedimus en, vateſque ultro majora fatemur
Credibili blandis compoſuiſſe ſonis.
Credimus Hiſtoricâ numquam ſua verba ligaſſe
Temporis ad certi, religione, fidem.
Non ignava tamen modo delectare Poëtas
Otia quae poſſint, concinuiſſe putem.
Sed formaſſe rudes blando modulamine mentes,
Dum miſcent lepidis dicta ſevera jocis.
Nam modo mirandas Naturae pandere vires,
Sparſaque per coelum ſidera, cura fuit.
Quis Deus, humanae quae vis & mentis origo,
Prima feros docuit Muſa diſerta viros.
Semina qui recti, qui primus jecit honeſti,
Numina qui docuit ſumma timere pios,
Qui patrias vetuit leges temerare, foroque
Qui ſcripſit rigido jura, Poëta fuit.
Ridiculus nondum, panniſque hirſutus & ore,
Miſcuerat falſis dogmata vera Sophus.
Horridus incertae nondum dictaverat artis
Diſcipulis ſemper ſcita novanda Senex.
Aura ſuburbani nondum vitioſa Lycei
Palladis adflarat peſte latente domum.
Porticus inſano reſonabat murmure nondum,
Scenica virtutis nec ſimulacra dabat.

 Stulta

Stulta nec Actaeis Sapientia ſederat hortis,
  Abſtulerat ſummis nec ſua jura Deis.
Non Canis auſus erat, vili centone ſuperbus,
  Opprobriis juſtos dilacerare viros.
Socraticus ſectis nec grex diſtraxerat orbem
  Millibus, & vanas ſeditione ſcholas.
Cum fera Maeonides componere carmine coepit
  Ingenia, & placidis flectere dura modis.
Ante Pherecyden animas ſupereſſe perennes,
  Et nemora, edocuit, laeta tenere pios.
Urere, perpetuâ redeunte in ſidera mente,
  Nil rapidos praeter corpus inane rogos.
Pythagoraea nihil docuere ſilentia myſtas,
  Quod non Iliados conditor ante dedit.
Non populis aequas, juſto moderamine, leges
  Sanxit Ariſtotelis callida charta prior.
Nec melius parere bonis rectoribus urbes,
  Aut Domini erudiit frena ſuperba pati.
Omnia Smyrnacis haec olim prodita Muſis,
  Serior explicuit quae magis ampla nepos.
Ut prior eſt aevo, ſtudiis ſic vicit Homerus,
  Quos dedit illuſtres terra Pelasga, viros.
Hic caput, hic princeps veſtri, Sapientia, cultûs,
  Hoc duce mortales te didicere Deam.

Pacis

Pacis ab hoc artes, juſti pia jura duelli,
  Fluxit ab hoc pietas ſanctaque fonte fides.
Et lepor, & cultae quam jactas, Graecia, linguae
  Gratia, Maeonii fluxit ab ore Senis.
Hinc Xenophontis opes depromſit mellea Siren,
  Hinc ſua divinus ſumſerat arma Plato.
Nec tamen hic primus, quem Dîs aequalia tellus
  Solvere mirata eſt ora, Poëta fuit:
Carmine jam juſſit laudes celebrare Deorum,
  Saxeaque Amphion frangere corda, lyram.
Quid referam Manto, quae caeco juncta Parenti
  Veridico cecinit dicta verenda Deûm?
Quid pia Muſaei, divinae oracula mentis
  Qui dabat, aut queruli carmina moeſta Lini?
Nec juvat Eumolpos, divumque Melampoda, nec quos
  Obruit aeterna nocte, referre, ſitus.
Nobile ſed Vatum, cura majore canendum,
  Par, geminus Chiron, Threïciuſque ſenex.
Phillyrides, hominis bifero qui corpore formam
  Junxit equo, ſubigi vim ratione docet.
Quadrupedemque viro mixtum, ſubjectaque menti
  Robora, conſilii mollia frena pati.
Doctus Apollineis conjungere carmina nervis,
  Aeaciden citharae perficit arte ferum.

Ore manuque potens ſanare valentibus herbis
  Vulnera, carminibus tollere corda ſciens.
Nec minus Oeagrii prudentia nobilis Orphei,
  Carmine qui ſilvas, ſaxa ferasque trahit:
Mitigat hic divûm, duriſſima pectora, cultu,
  In juga dum Rhodopes myſtica ſacra vehit.
Orgia qui ſuavi celebrans trieterica cantu,
  Martia divino corda timore domat.
Hos habuere duces, hos pubes Graja magiſtros,
  Cum rate non notas ingrederentur aquas.
Litore Theſſalio vix improba conſtitit Argo,
  Palladis in longas arte parata vias.
Vertice cum ſummo Chiron decurrit, & acres
  Exſtimulat dictis in decus omne viros:
Dîs genitoſque ſuo monſtrans Heroas Alumno,
  Hac pueri flammat corda tenella face.
Hunc ego, quem cunctis dare cernis Jäſona jura,
  Sollicitus finxi voce manuque ducem.
Peliacum ſubiit Heros Tyrinthius antrum,
  Et melior, doctus monſtra domare, redît.
Cetera, quam fervere ſtupes în proelia, turba
  Virtutis didicit, me monitore, vias.
His ego, quos factis vir vinces fortibus omnes,
  Aemula jam puerum pectora ferre volo.

Nec

Nec tantum Aeſonidae decoris Nepheleïa pellis,
  Quam Tibi, Pelides, diruta Troja dabit.
Succinit Aemonio Rhodopeïa Muſa magiſtro,
  Clamat &, hos mea ſit fingere cura viros.
Ipſe ego fatidicam certus conſcendere pinum,
  Rector in audaces ibo comeſque vias.
Laudibus incendam juvenilia pectora patrum,
  Magnanimoſque canam, quos imitentur, avos.
Auſpice me clavum Tiphys moderabitur Argûs,
  Et Lynceus terras & dabit aſtra rati.
Sublimeſque reget Calais cum Fratre ceruchos,
  Ipſe dabo nautis remigibuſque modum.
Magna quidem, Telamon, vaſtis fiducia coeptis,
  Deque tuo ſurgit, Canthe, vigore mihi.
Lectaque tot ſpondent optatam robora pellem,
  Et freta victricem per ſcopuloſa ratem.
Pectora ſed recti fera cultus, honorque Deorum
  Temperet, & caſtae religionis amor.
Ampycides patrios, plenus jam numine, ritus
  Tradat, & acceptum Dîs pietatis opus.
In dubios caſus fatorum praeſcius Idmon
  Roboret, & ſtrictas in fera bella manus.
Gloria, quae celſas mentes aeterna perurit,
  In, rapidus Phaſis quae ſecat, arva vocet.

Illa

Illa triumphalem Pagaſaeo litore puppim,
  Et figat patriis vellera rapta tholis.
Haec decora, has laudes, Grajis celebrata Poëtis,
  Serus ut aequaret fortia facta nepos
Haec animoſa refert Romanis pagina Flacci,
  Aemula qui Graecis vatibus ora movet.
Carmina qui primis licet inperfecta ſub annis
  Liquerit, Auſoniae fama ſecunda viget.
Utque premit felix Smyrnaeas Mantua lauros,
  Obſcurat Rhodium ſic Patavinus olor.
Hoc Tibi, lux Juvenum, Flos illibate Britannae
  Pubis, Epos laeta mente manuque dico.
Si ſtimulis te lecta novis impellere poſſint
  Aequora, Theſſaliis ſollicitata viris:
Si quid Jäſonia raptum virtute doliſque
  Vellus, & ad patrios praeda relata Deos:
Si quid ad exemplum valeant monumenta Pelasgae
  Gentis, & antiqui temporis acta juvent.
Si Tibi virtutis placeat, doctorque decoris
  Flaccus, & ingenii grande capacis opus.
Verbaque ſi vati Deus inſpirarit ab alto
  Grandia, materiae conveniantque modi.
Si prodeſſe tibi, ſi delectare Poëtam,
  Utile jucundo ſi ſociare velis:

Accipe

Accipe, Romuleae cecinit quae grata juventae
Ortus in Euganeis, carmina, Flaccus agris:
Perlege, quae juvenes incendant laudis amore,
Priſca per heroos condita bella pedes.
Hoſpes ad illuſtres, me deducente, penates
A Batavo vates litore laetus eat.
Si tibi Leidani placuerunt otia Rheni,
Muſarum placuit ſi tibi docta domus.
Si mora, dum noſtro pendebas gnavus ab ore,
Primaque tractabas Palladis arma, ſubit:
O decus, o noſtri nuper celebrata Lycei
Gloria, mox patrii ſplendor honorque ſoli!
O precor, o faciles aditus, me judice, ſolo
Impetret Andino vate Poëta minor.
Nec pia devotae faſtidi munera mentis,
Quae tibi pro meritis dat ſtudioſa manus.
Forte nec excidimus, memori ſed inhaeret amati
Pectore Burmanni grata figura tui.
Si mihi, ceu juveni, promtas in carmina vires,
Et facilem venam Muſa benigna daret.
Grande rudimentum, primaeque aetatis honores,
Et canerem ingenii ſemina laeta boni.
Belgica te poſtquam mirata, ſinuque quieto
Fovit, Apollineae grandis alumne ſcholae;

Francia, quae morum cultique magiſtra nitoris
  Perficere externos creditur una viros,
Nil habuit, quo Te, ingenium ſtupefacta politum,
  Inficeret vitiis ambitioſa ſuis.
Martia mox firmis Germania moenibus urbes
  Pandit, & hoſpitio Caeſaris aula fovet.
Hinc comes Auguſto ſinuoſum tendis ad Albim,
  Et cupido peragras rura Bohema gradu.
Regalique caput cingi dat Praga coronâ,
  Et gerere Auguſtas ſceptra, videre, manus.
Dein Hanovera caput, Regi regnata Britanno,
  Publica cui ſe pax debet & alta quies.
Jam reduci cupidas tendit Pater optimus ulnas,
  Maxima ſpes clarae praeſidiumque domus.
Forſitan & thalamos tibi jam Cythereïus ales
  Apparet, & nodos nectat amica Venus.
Jam vocat ad ſummos vis ignea mentis honores,
  Et titulos ſpondet patria laeta novos.
Illa dies veniat, qua ſancti magna Senatus
  Pars, populi & Regis jus tueare tui.
Nec procul illa dies, qua magni Regis amicus,
  Purpureae celſus veſtis honore mices.

DE-

DEDICATIO

ANTE EDITIONEM OVIDII in 4to A. 1727.

CELSISSIMO PRINCIPI

HEROI INVICTO

EUGENIO,

SABAUDIAE PRINCIPI, ET SUMMO EXERCITUUM CAESAREANO-RUM DUCI. &c. &c. &c.

MArtia progenies, & ſanguine nobilis alto,
  Belligeros, Princeps, vincere nate Patres.
Qui licet, inter avos, Reges atque ordine longo
  Sceptriferos poſſis enumerare Duces;
Acta tamen virtute nova ſuperare priorum
  Unica cui ſemper cura laborque fuit.

Quem primis inimica Ducem jam ſenſit in annis
Turba, capis tenerà dum puer arma manu.
Cui neque tam bellis, quam continuata triumphis
Pars melior vitae, flore virente, fuit,
Laurigerum cui Fama caput nunc, neſcia mortis,
Ornat, & albentes Gloria ſumma comas.
Major & immenſis rerum prudentia factis,
Conduplicat partum viribus ante decus.
Quem toties ſtrictos animoſum Caeſar Achillen
Per gladios ſtupuit fulminis ire modo,
Nunc, bene penſantem diſpendia mente vigoris,
Neſtora conſiliis gaudet adeſſe ſuis.
Imperii tutela ſacri, quo vindice Rhenus
Repulit hoſtiles Danubiuſque minas.
Adſertoſque manu primum, mox foedere, fines
Poſſidet, ut quondam, Teutonis ora ſuos.
Cui ſua nil metuens Batavus, ſua fata Britannus
Credidit, eventu laetus uterque bono.
Cui Padus, & palmas Atheſis ſine fine dederunt,
Hadria ſubmiſit cui violentus aquas.
Quo duce Germanas Aquilas, Auguſtaque ſigna
Vidit in Heſperiis fixa Latinus agris:
Et Ligures didicere, Ciſalpinique clientes
Priſtina ſub Domini jura redire ſui.

Magne

Magne Vir, armatae decus immortale, ſimulque
  Quae favet ingeniis, cultor amice, Deae.
Caſſide te poſita teneat paulliſper & haſta
  Filia, pacato pulchrior ore, Jovis.
Quique diu pharetrâ metuendus & adſtitit arcu,
  Mulceat Aoniâ pectus Apollo lyrâ.
Dumque per arma nihil, quo creſcat Gloria, reſtat,
  Det tibi jam titulos numen utrumque novos.
Utque ſub auſpiciis & ductu fortia veſtro
  Pectora victrices explicuere manus,
Et remeans ut ab hoſte, tuo ſub nomine, miles
  Tot poſuit celſis clara tropaea jugis;
Sic quoque, Barbarie jam victâ, mitis alumnus
  Palladis ad veſtros collocet arma tholos.
Inque Tuâ certet longi monumenta laboris
  Ponere doctorum turba diſerta domo.
Praeſes, & o ſtudiis laetum tutamen honeſtis,
  Te, redeat Muſis, conciliante, decus.
Compoſitâ cum clauſa vacent nunc horrea pace,
  Arte nec indigeant arma repoſta tuâ.
Junge, precor, gravibus pacalia munia curis,
  Et ferat alternas Bibliotheca vices.
Regia, nec Phariae cedens numerove ſupellex,
  Vel pretio, gazae, Pergame lauta, Tuae.

Quam colis & celebras, Princeps doctiſſime, ſi quid
Otia per blandae pacis ab hoſte vacas;
Poſcit in hac ſupplex tenerorum Luſor Amorum
Aede ſibi proprium conſpicuumque locum.
Utque ſuis pateant, quae numquam clauſa feruntur
Atria, quos dictat culta Thalia, libris,
Naſo rogat, Scythicas longe projectus in oras,
Et procul a patrià contumulatus humo.
Cujus, in imperii Germani limite, nuper
Teutonicas errans audiit umbra tubas;
Eugeniique, caput tollens, ad nomen, & aures,
Sperabat cineres poſſe quiete frui;
Et Latium mutare fero feliciter Iſtro
Thybrin, in externis oſſa ſepulta locis.
Jamque ſuburbanum migrare vovebat in hortum
A male pacatis urna ferenda Getis;
Cum tua compoſito ſenſit victricia bello
Biſtonias triſtis linquere ſigna nives.
Nunc quoque, quae tanto de vate Poëmata reſtant,
Dux bone, Naſonis ſit tibi cura, rogant.
Et ſi fata ferant, temerato ut foedere Turcus
Provocet in poenas vindicis arma ſuas.
Si tibi dent ſuperi per inhoſpita litora Ponti
Caeſaris ultrici ſigna movere manu;

Tran-

Tranſierisque, ſacros quo manes dira vagari
  Juſſit inhumani Caeſaris ira, locum;
Fer, tumulum notoſque legens in marmore verſus,
  Quîs rogat, ut Vatis molliter oſſa cubent;
Fer, precor, inferias, & juſtis rite ſolutis,
  Sentiat officium Sarmatis umbra pium:
Interea facilem, Dux clementiſſime, cauſſam,
  Hic liber, a Batavo litore miſſus, agat.
Incolumis miſeri proles poſt fata parentis,
  Sed ſemper viridi pagina laude recens.
Illa verecundae vix conſentanea vitae
  Viſa ſuperciliis Muſa jocoſa feris,
Largaque Naſonis jejunis vena magiſtris
  Luxuriae falſâ dedecorata notâ:
Ingeniis tamen antiquis adamata noviſque,
  Effera latrantum deſpicit ora canum.
Vivet, & in culto Naſo cantabitur orbe,
  Donec erit Latiis verſibus ullus honor.
Vivet, & immiti Pelignus Caeſare nomen
  Grandius a doctâ poſteritate feret.
Et lepor, & ſimplex urbanae gratia linguae,
  Quam Venus & ſacro fonte rigavit Amor.
Quam ſalibus tinctam Charis ingenioſa venuſtis
  Naturae faciles fundere juſſit opes.

Plena

Plena miniſtravit cui pocla Aganippidos undae
  Phoebus, amatores attrahet uſque novos.
Nam genus humanum ſapere, & rudis arte juventus,
  Diſcet ab hoc mores vate polire feros.
Laetaque mulcebunt hilares modulamina mentes,
  Triſtia dum Cenſor fronte rigente probat.
Sacra leget cupide, digeſtaque jura dierum
  Doctus, & in facies corpora verſa novas.
Grataque Principibus Naſonis carmina numquam
  Oppoſitas aulae ſunt habitura fores.
Nec tamen haec foret auſa, meo ſub nomine, PRINCEPS
  Maxime, nunc oculos charta ſubire tuos:
Ni bonitas, miro praeſentem amplexa favore,
  Indiciis eſſet teſtificata novis.
Nam mihi praeteritae recolenti tempora vitae,
  Nulla dies ortu candidiore fuit,
Quam licuit tanti qua Principis ora tueri;
  Et placidi verbis colloquioque frui;
Quâ Tua Pierias ſpirans facundia vires,
  Fertilis ingenii tot documenta daret.
Et modo miratus numeroſa Poëmata Flacci,
  Et modo divini forte Maronis epos,
Culta fatereris minus haud Naſonis amare
  Te, licet alterna carmina clauda pede.

Hi

Hi ſtimuli, hi calcar ſermones acre fuerunt,
Iret ut ad veſtros noſtra Camena lares.
Blandaque, quâ tenuem non averſaris honorem,
Excuſſit timido litera corde metum.
Auſpice Te, Princeps, igitur, Celſiſſime, lucem
Ingenio vates ſummus & arte videt.
Qui tibi cum per ſe placuit, ſemperque placebit,
Nil habet a noſtrâ quod ſibi poſcat ope.
Nec mea, quo ſacrum commendet vena Poëtam,
Invenit, aut partes conciliantis agat.
Tu potius, Naſo, primo cultoris ab aevo
Mite patrocinium ſuſcipe ſponte tui.
Eugeniumque doce, quoties tua carmina tractat,
Debueris curae quantulacumque meae.
Faſſus & Heinſiadis omnem debere ſalutem,
Dic quoque Burmannum non meruiſſe nihil.
Sed, quia ab ingenio famam ſperare vetatur,
Nomine laudetur ſedulitatis opus.
Hanc probet Eugenius, lenique volumina vultu,
Sordibus & turpi libera labe, legat:
Jam ſatis ampla mihi curae cepiſſe videbor
Praemia, nec ſterili vomere araſſe ſolum.
Naſo, novo cultu, limaque polite recenti,
Eugenii nitidâ nomina fronte gerens;

Exſulis Arctoâ poſito ſqualore ſub orâ,
Ad Ducis egregii corripe tecta gradum.
O utinam tua vis animaret fervida noſtrum
Frigus, inexſtinctas ſubjiceretque faces!
O utinam tuus ille meas incendere venas
Aetherio poſſet miſſus ab axe calor!
Eugenii mea lingua decus, ſemperque virenti
Fronde, gravi caneret laurea ſerta modo.
Nunc mihi nil ſupereſt, praeter te, Naſo, precari,
Carmina dent aditum veſtra recepta meis.
Mentis & obſequio devotae pignora, verſus
Hos placidi paucos ad Ducis ora feras.
Quorum ſi merito ſubeant faſtidia, plena
Haec tua nectareo Muſa liquore levet.

SO-

SOTERIA

PRO VIRO CLARISSIMO

ET

COLLEGA CONJUNCTISSIMO

HERMANNO BOERHAVIO,

EX MORBO GRAVISSIMO
CONVALESCENTI
SOLUTA.

Audivit pia vota bonus, morbique furorem,
  Magne vir, aetheria fregit ab arce Deus:
Limine de Stygio precibus revocate faventum
  Vivis, &, a media morte recepte, redis.
Redderis attonitae tanto diſcrimine Leidae,
  Vix ſua quae lecto te recubante fuit.

Crebraque cum ſiccis ſpectaſſet funera malis,
(Heu nimium lenta multiplicata lue!)
Indulſit lacrimis, ubi te fervoribus uri
Audiit, & gelido membra tremore quati.
Praeque metu cari capitis, vulgaria leto
Tot data, jacturam credidit eſſe levem.
Mille licet media de plebe domeſtica vexet
Peſtis, & in cives ſaeviat ira Dei;
Arva licet viduet labes violenta colonis;
Et doleat raptos Curia moeſta Patres;
Damna tamen reparant mox ſucceſſore reperto,
Cujus ab alterius funere creſcit honos.
At Tibi, prodigium, noſtrique vir unice ſecli,
Publica ſe ſimilem vox reperire negat.
Excute, ait, patriae, rodens ſublimia Livor:
Clara per Italiam viſe Lycea, precor.
Nec Tibi Paeonias, jactat quas Francia, ſedes,
Nec tibi Germanas deſit obire ſcholas.
Ingenio mutas & linguae dotibus artes
Tam bene qui poliat, trans mare quaere parem.
Cujus ab occaſu mundum replevit ad ortum
Fama, nec in patriae finibus haeſit honor.
Cujus certa manus tot deſperantia vitam
Corpora, tot dira tabe pereſa levat.

Da

Da mihi, cujus opem Reges, laribusque relictis
Sollicititi toties expetiere Duces.
Quem proceres civesque colunt, juvenesque nurusque,
Fataque formidans prolis acerba parens.
Cujus ab aurora, velut ampla palatia Regum,
Obſidet infelix atria clauſa cliens.
At ſimul illa patent, valido non divitis auro
Invidet, aut ſurdo limine plorat inops.
Gentis amor, ſidusque tuis illuſtre Batavis,
Seculaque Elaei digne videre Senis;
Jam Tibi, Tartarea demerſo paene palude,
Ad ſuperas auras bis remeare datum.
Bisque, fatigato prope per convicia coelo,
Supplice te retrahit publica voce Salus.
Hei mihi! quae facies, ceu publica funera fleret,
Hei mihi! qui tota luctus in Urbe fuit?
O quanto jacuit defixa dolore Minerva!
Praeſide quae celſum Te levat alta caput.
Quo Duce Piëriis toties injuria tectis
Abſuit, & vires perdidit Ira feras.
Tu procul inſidias, ponit quas invida privis
Legibus Ambitio, mente videre ſagax.
Conſilii plenus, placidus ſermone, potensque
Aequa minus blandis flectere corda ſonis.

Nocte dieque vigil ſtabas in Palladis arce,
  Tutor Apollinei certa ſalusque jugi.
Nec tua ſe pretio, nec honoribus inſita vanis
  Libertas tumidis proſtituebat heris.
Non animi arbitrium vox imperioſa jubentis,
  Inſtantisve ferox eripiebat apex.
Lex vitae Tibi norma fuit, juſtique tenorem
  Non Tibi blanditiae, non rapuere minae.
Quid fore conſorti credis, Pater optime, turbae,
  Mentis, ad invita lumina clauſa manu?
Te moriente rapi ſua gaudia, jura, decorem,
  Spesque bonas celeri cernet abire fuga.
Et pubes, flens fata boni ſtudioſa magiſtri,
  Deſtituet doctum, Te viduata, nemus.
Orba tuo quid inermis ages, Hollanda Minerva,
  Vindice? de digitis aegis & haſta fluent.
Ultimus, ille dies qui ſolvet juſta ſepulto,
  Teſtis Athenaei, Leida, frequentis erit.
Grex erimus paſtore ſuo deſertus, inersque
  Flebimus ad tumulum Turba togata ducis.
Lucis at illius tenues vaneſcat in auras,
  Et portanda levi detur imago noto.
Te potius vivo redeat ſpes blanda favoris,
  Gratia Te redeat conciliante prior.

Feſſa

Feſſa tot infauſtis pars utraque litibus optet,
  Priſtina conſtanti vincla novare fide:
Curia perpetua jungat ſibi pace Lyceum,
  Ordinibusque ſuus reſtituatur honos.
Hoc opus eſt, Hermanne, tuum, concordia fauſto
  Omine fac coëat firma, labore tuo.
Redde vicem, nutrix Academia clamat, & inſta,
  Ut vireat veſtra Mater, alumne, manu.
Cui tua non Procerum ſuccurrit dextera? cui non
  Adfuit illuſtri fida medela viro?
Seque ſuosque Tibi quot non debere fatentur?
  Proque tua quis non vota ſalute facit?
Vive diu, patriae totique ſalutifer orbi,
  Vive, Machaonia vir, precor, arte potens.
Palladium non voce tua, non mente capaci,
  Non ope tam certa Leida carere poteſt.
Nec tamen immodicis ut vexes corpora curis,
  A ſene nec juvenis dura repoſcit opus:
Paene ſed emeritae jubet indulgere ſenectae,
  Corporis ut curis otia liber agas.
Non Tibi de duro pectus Natura metallo,
  Non Tibi de ſolido marmore membra dedit.
Mente tua contenta regi, contenta doceri,
  Mellea ne claudas ora, juventa rogat.

Et

Et cupida Tua dicta bibens tractabilis aure,
  Supplicat ut manuum jam grave ceſſet opus.
Jungimus, ardentes decus hoc ſervare Lyceo,
  Tot juvenum noſtras, ſi ſinis ipſe, preces.
Sat plantis herbisque datum, ſatis ille rapaci
  Terruit Hermetis nos ferus igne focus.
Has utinam valido juveni tranſcribere partes,
  Quem tua formavit lingua manusque, velis!
Vis animi, quae ſumma, tui, ſollertia mentis,
  Doctrinaeque dabit copia ſat, quod agas.
Tu priſcis memorata viris, uſuque magiſtro
  Prodita, & ingenio trade reperta tuo.
Sic meliore Tui nos parte fruamur amici,
  Dulcibus adloquiis quos retinere vales.
Sic tua projectos videat nos villa ſub umbra,
  Quam faciet veſtra conſita ſilva manu.
Quasque olitor rapuit, nobis felicior, horas,
  Fida, ſodalitii jure, corona ferat.
Illic dum platani lata ſub fronde jacemus,
  Aura det excluſo frigora ſole levis.
Dumque ſacrae laeti fumos evolvimus herbae,
  Libemus genio mollia vina loci.
Boerhavius, dos ſola loci, ſic creſcere ramos
  Cernat, & arboreas luxuriare comas;

Ut

Ut quae de tenero ſurrexit ſtipite truncus,
 Praebeat annoſo tegmina denſa ſeni.
Et numeret Conjux ſeros longaeva, Patriſque
 Unica praeſidium Filia dulce, dies.
Sola neque haec mea, ſed conſortis amica Senatus,
 Haec Procerum, haec Populi publica vota puta.
Compita feſtivo, reſonant, Te ſoſpite, Templa
 Murmure, gratantum ſurgit ad aſtra fragor;
Taurus ad accenſas a divite ducitur aras,
 Urit inops parca turea dona manu.
Carmina nos votiva tholo ſuſpendimus, in quîs
 Nil niſi laudetur laeta voventis amor.

MDCCXXVII.

IN PACEM
ANNI MDCCXIII
CUM GALLIS ET HISPANIS
INITAM,
NUMMO INSCULPTUM.

Diva tegens Batavos, qua cuſpide reppulit hoſtes,
Nunc oleas Pacis ſurgere ſigna jubet.



IN

IN EFFIGIEM

HADRIANI VI. PAPAE,

Inclyta Trajectum, ſedis decus adſpice rarum
Romanae, puerum quem tua fovit humus.
Cui pietas apicem, gentique innata Batavae
Simplicitas, Italo triſte fremente, dedit.
Pontificem ſed Roma probum doctumque gravata,
Sancta piis vetuit reddere jura diu.
Flaminis & caſti properata morte vacanti
Nomina reſtituit flagitioſa throno.

1727.

IN EFFIGIEM
FRANCISCI BURMANNI,
FRATRIS DEFUNCTI.

Doctrinis aequandus Avo, pietate Parenti,
Nec meritis, aevi ſed brevitate, minor.



IN
CLAUDIUM CAPPERONNERIUM
THEOLOGUM LICENTIATUM
PARISIENSEM,
ET DIACONUM AMBIANENSEM,
DE NOVA EJUS
M. FABII QUINCTILIANI
EDITIONE.

FAbi, Romuleae diſerte pubis,
Et linguae moderator eloquentis,
Quem nec Scaligeri ſagax acumen,
Turnebi neque vis polita cepit:
Quem nec Cecropii potens nitoris
Budaeus, neque perſpicacis acre

Mureti ingenium explicare quivit:
Quem Victorius abditae tegentem
Tot myſteria, non peritus, artis,
Quem divina Caſauboni, vel ampla
Mens Salmaſia, tot ſcientiarum
Perſpexiſſe capax negatur umquam.
Cappronnerius at Licentiatus,
Et Diaconus Ambianus, illud
Franciae decus elegantioris,
Et flos unicus orbis eruditi,
Criſtas, & caput altus infulatum
Sacrae tollit honore diſciplinae,
Vittatoque jubar vagumque ſpargens
Lumen vertice, Solis inſtar almi
Offuſas Fabio fugat tenebras:
Nam Graeci celeber Profeſſor oris,
Prudens Grammaticae, Poëſeoſque,
Summus Rhetorici artifex decoris,
Et Graecis ſocians Latina ſacra,
Cunctas pectore comprehendit artes.
  Hic eſt, credite Romuli nepotes,
Nec Franci dubitate, monſtruoſus
Partus, quem, Phrygia ſtupente, longis
Midas nobilis auribus cadentem

Suſce-

Suſcepit genetricis ex caverna;
Mox Pani Satyriſque dans alendum
Juſſit ducere lac aſelli inertis,
Os ſed fingere Marſyae imperavit.
Sed quem ſtercoreae monebat augur
Cumanus fore mercis inſtitorem,
Coepiſſet ſimul ac manu profana
Audax Muſica commovere ſacra.
Nam Corſae in teneris apes labellis
Cacavere tropos, & os figuris
Foedantes, apinas leveſque tricas
Torpenti poſuere ſub palato.
Hinc linguarum elementa poſt duarum
Per falſae Sophiae doloſa tecta,
Ambages Logicas, & implicatum
Spinoſae Dialecticae vepretum,
Tandem Delphica repſit in vireta.
Et vaſto veteres fugans Minervae
Cultores ſonitu, tenet Cathedram
Arcas in celebri Pariſiorum
Lyceo, recoquens procace lingua,
Et chartis olidis novans aniles
Nugas, Zenodoti cor, & Cratetis
Jecur creditur. Ecce, dictiones

Et

Et vocabula, technicaſque voces
Ardet promere, formulaſque tritas
Ex tetra cupidus trahit cloaca,
Eructans anima gravi mephitim.
  Atque has quisquilias ineptiaſque
Laudat barbara contumaxque lingua
Mattairi; miſerans rudes Britannos,
Exſul qui patriae, ſcholaeque rector
Factus, mox hebetes, ſtupente ſaevi
Neptuno maris arbitro, nitore
Franco diſcipulos polire coepit.
Sed qui ſubdere colla dein recuſans
Regi, quo melius benigniuſque
Nil numen dedit acribus Britannis,
Nunc, o Dî! ferula furens ademta,
Auctor prodiit, inſciuſque linguae
Argivae ſimul & rudis Latinae,
Grajos dat tamen & libros Latinos
In lucem, indicibus graves ineptis.
  Adſtrepit ſocio ferocienti
Mundi nobile Cymbalum, Gorallus,
Scribax Gallulus, arrogans politor
Germanae ruditatis, & ſtuporis.
Corrector truculentior Batavi:

Ges-

Geſtans qui numero libros ducentos,
Malos, Jupiter, & ſimul malignos,
Omnes ordine quos decente narrat
Jactator variae eruditionis,
Et vitae propriae immodeſtus auctor.
Qui tollens vacuum ſuper paludes,
Et craſſi caput aëris vapores,
Gallulis cluit unicus Palaemon.
Omnes qui Criticos, levemque turbam
Antiquos ſimul & novos Poëtas,
Omnes Grammaticos, prioris aevi
Et noſtri Hiſtoricos, Sophos, Sophiſtas,
Horrenda citat ad tribunal atrox
Voce, Ephemeridum minax tabellis:
Proponenſque Academiae magiſtris
Edictum, temeranda jura nulli
Minoa gravitate dat, creatus
Dictator vitio orbis eruditi.
Creſcit ſed vetulo aemulus Joanni
Cenſor qui novus, auſpicatus acta
Literaria, contumelioſo
Burmannum opprobrio notat tremendum:
Cappronnerius hoc ſuperbus altum
Laudatore caput levat, recenti

Dum cernit fatuum favere curae,
Quam nec viderat ille buccinator.
Et cur non niſi comtulus placeret
Editor Fabii, notis onuſti
Technicis, Criticis, Chabotianis,
Graecis, Auſoniis, Minellianis?
Quales Francia militaris ante,
Nec Britannia cincta belluoſo
Vidit Oceano, carenſque ſenſu
Sed Germania viribus ferox, nec
Vidit Belgica nobilis ſtupore.
Mimus, nomine ſed Gujotus olim,
Dum Scenam levis obtineret Hagae;
Nunc Mervillius, ore delicato
Guſtans delicias & ungue pingui
Tangens fercula Capproneriana,
Jurat Numina, Franciam beatam
Clamans, tam capitale quae creavit,
Et Belgae ingenium timendum & Anglo:
Cujus judicio acquieſcet orbis,
Et decreta probavit Hiſtrionis.
Quippe Hagana diu theatra, plebsque
Quae tenet caveam, patreſque gentis
Comoedae, ſtuduere ludioni,

Aeſopos

Aeſopos ſibi Roſcioſque priſcos,
Et Scaramuchios & Arlequinos
In ſcenam rediiſſe gratulantes.
Sed libraria gens, avara lucri,
Et docta ingeniis ſedere judex,
Et cultas pretio aeſtimare nugas
Sciens legitimo, pati nequivit,
Ut tam ridiculus dicaxque ſcurra
Scenae fama foret, ſtuporque vulgi.
Sed partes agere ut velit ſecundas,
Orcheſtra ſubito valere juſſa,
Praeficique typis librariorum
Oſtentans pretium, rogare coepit.
Correctorque operum, erudita quotquot
Culti dextera Baylii edolavit,
Attraxit decoris micantis auram.
Tactam numine ſentienſque mentem
Doctrinaeque novae nitore plenam,
Duxit Bayliaci ſtili colorem.
Hinc factus vacuae inſtitor tabernae
Quam faſces bibulae decem papyri,
Aut dextra maculata corrigentis
Monſtrabant folia; at fame coacti
Chartas rodere tranſtulere mures

 Poſt-

Poſtquam ad divitiora tecta ſedes,
Nunc ſolus tenet, arrogante vultu:
Et ſupercilio minax ſevero,
Pro ſceptro tragico capit procacem
In tardos calamum ferus, Batavos.
Mordacique ſtylo ferire certus,
Quos Senatulus aſſidens magiſtro
Damnat Gallulus in nova taberna.
Et mox Allobrogis juvante laeva,
Lotharingia quam tenere mallet,
Phoebeus, tripedem premens cathedram,
Scriba Ephemeridas novas adornat;
Quîs Hagana dat acta literarum,
Quae fert eſuriens in aſtra coetus.
Et veſtigia Clerici legenti
Poſt primordia tam venuſta, nomen
Spondet nobile, nec minora lucra.
Nam primum ſpecimen, novus quod Atlas,
Francam vertice fulciens ruinam,
Dat, nondum Criticos deëſſe Genti,
Nec mentis docet arbitros politae.
  Haec ſi, Francia lenta degenerque,
Vis opprobria ſeculi prioris,
Ferre, & putida ſcripta Paedagogi

Et laudare notas Licentiati,
Ad quas Quinctiliana pallet umbra,
Jam ſit fas animas citare avorum,
Quas Europa, tuis polita ſcriptis,
In coelo poſuit, coletque ſemper
Inter lumina verticis bicornis.
Pithoeos celebres, Fabros, Fabrottos,
Sirmondosque tuos, Petavioſque,
Teſtes praeteriti bonos decoris,
Evocabimus inferis ab imis.
Naudaeos tibi, Cangios, Petitos,
Blondellos, Sponios, Rigaltioſque,
Gaulminos dabimus, Bigotioſque,
Cum Vavaſſore, Huetios, Bochartos,
Marcas, Mentelios, Medonioſque,
Labbaeos revocabimus, Sequinos
Juſtellis comites, Baluzioſque:
Fratrum & nobile par Valeſiorum;
Quos Palmeria mox ſequetur umbra;
Nec cauſſae Puteana triga deerit:
Sanmarthana dabit patrem Poëtam
Stirps, & tres parili nitore gnatos.
Et quos fertilis, aemulata Romam,
Plures Francia, gloriam parentum

Nondum degenerans, locavit aſtris.
Sed ſi nomina viliora ſpernis,
Nec Scholaſtica turba cultiore
Digna hoc, Francia, ſeculo videtur,
*Stirpis ſidera Memmiae citabo,
Harlaeos, Varios, Lomenioſque;
Et cum Lamoniis, domus Thuanae
Cunctos praeradians reſurgat aſtrum.
Gens Segueria, Galliaeque doctae
Montauſeria Belgicaeque fautrix,
Colbertique manus benigna Muſis.
Et quos Graevius Heinſiuſque plures
In coelum memori tulere penna,
Vindices ſtudiis bonis redibunt.
Sed quid, Muſa, cies moleſta manes,
Aut arceſſis ab inferis patronos?
Gens Bignonia, Franciae ſub umbra
Cujus moeſta diu Minerva ſedit,
Gens, quae laude nova vireſcit uſque,
Et docti patris eruditiore
Partes excipiente prole, ritu
Phaenicis reparare triſte damnum
Tendet, Barbariaeque magna moerens
Incrementa manu potente franget;

Et

Et ſpretis decus artibus reducet.
  His, pars infima Franciae, renata
Jactans aurea ſecla, dum paternae
Splendor deteritur peritque famae,
Nunc oppone levem, precor, catervam
Et denſam inſipientium phalangem.
Perraldoſque truces, Bohurſioſque,
Et rudes novitatis advocatos.
Indocti coëant, libros tot auſi
Divinos veterum calumniari,
Aut illudere vocibus protervis.
Monſtrent praemia, liberalitatis
Doctis debita regiae helluones,
Delphini maculare quos in uſum
Auctores ſitis excitavit auri.
Oſtentent puerilium notarum
Moles, inſcia turba, paedagogi,
Commentaria ponderoſa furtis,
Et chartas Scholiis graves ineptis,
Barbaris paraphraſibus nigrantes.
Hos Daceria, fure cum marito,
Et Marollius impiger ſequatur:
Ducat belliger ordines Gorallus,
Et centum plagiarios Cacoſque,

Omnes

Omnes laedere ſuetus eruditos.
Camuſatus atrox agat minaci
Vultu Ephemeridum truces catervas,
Haganuſque ruens in arma Scurra
Supplementa ferens diariorum,
Belgas provocet impudente penna.
At nos dehinc fatuis valere juſſis
Tot Cenſoribus, & Licentiato,
Furtivis Fabium notis gravante,
Tot volumina munda concacante,
Et curae ſociis & adminiſtris,
Quos oſtentat inops tuliſſe proli
Naſcenti cupidos opem manumque,
Mattairo, & facili nimis Monetae
(Novit nam melius) probare nugas,
Reſpondere nihil juvabit ultra.
Sed cum vatibus aureis, Rapino,
Et cum Commirio, Menagioque,
Secli reliquiis beatioris,
Aegra quos dedit ultimos Poëtas,
Quîsque effoeta & iners, nec apta frugi,
Poſthac Francia vix pares creabit,
Argutum repetemus & jocoſum,
Ludentes numero Catulliano,
ô SECLUM INSIPIENS ET INFICETUM!

THEATRUM AMSTELAEDAMENSE,

CATONI TERTIO.

Quid fronte triſti cernis indictum diem,
　　Priſci Catonis aemule?
Qui laeta Belgis nuntiat ſollemnia,
　　Et ſeculares ferias:
Qui reddet Amſtelae Theatri exordia,
　　Novo relata tempore.
Non ad jocoſae turpe Chloridos ſacrum,
　　Aut impudica gaudia;
Nec ad cruenta beſtiarum praelia,
　　Aut enſium certamina.
Ad caſta Muſae te voco ſpectacula,
　　Phoebique comici domum.
Qui vel cothurno grandis aut ſocco levis,
　　Elatus aut repens humi,

Diverſa menti ponit oblectamina,
  Vulgi magiſter & patrum.
Regum Tragoedus dat nefanda crimina,
  Altum tonantibus modis:
Rhamnuſiaeque, vindici ſuperbiae,
  Dediſſe poenas edocet.
Regale carmen efferas Ducum minas,
  Et principum vultus truces,
Juſti tenacis haud movere Curiae,
  Nec corda, monſtrat, civium.
At ſcena riſu quae quatit praecordia,
  Jocoque gratus hiſtrio,
Mordacis audax dente carminis, luem
  Perſtringit hujus ſeculi.
Moreſque turpes & juventae opprobria
  Luſu ſoluto detegit.
Patris tenacis & nepotis prodigi
  Ridenda narrat jurgia.
Matriſque blandae culpat indulgentiam
  Nataeque amores fervidae.
Corruptor aurum, patre decepto, Syrus
  Fert furto herili filio.
Lenonis inprobi adjuvat perjuria
  Rapax amicae dextera.

Haec

Haec ficta miris hiſtrio ludit modis,
Doctore acerbo gratior.
Nam quem tonantis haud magiſtri concio
Ad poenitendum commovet,
Fricantis illum ſaepe comico ſale
Mutat cavilla Ludii.
At, dedicari ſecularibus ſacris
Theatra, clamas, turpiter:
Libidiniſque ſeminarium ultimae
Claudi probroſum mavelis.
Scenamque leges ad Catonis tetrici
Tolli juberes funditus.
Leidenſis, inquis, Palladis ſacrarium,
Celebretur, artium domus,
Et eruditi, qua patet, mundi Schola,
Renovanda multis ſeculis.
Aut qui parentes error occoecaverat,
Detractus a ſanctis viris,
Per templa gratis praedicetur vocibus,
Ut numinis benignitas.
Sed, o verende, quis pii ritus, Pater,
Feſtique neglecti reus?
Templis honores impetu quis non ſacro
Gaudebit eſſe redditos?

Praeeunte caſta quis caterva Antiſtitum
Non vota ſolviſſet Deo?
Cur hanc Lutheri gloriam ſequacibus
Lenti relictam vidimus?
Cur non relata veritatis ſemina,
Et a Quirini Flaminis
Turpis cloacae ſordibus jam libera,
Dies renarrat annuus?
Dic, cur ſtupendi muneris ſedet immemor,
Inersque ceſſat Belgium?
Nec ſecularem recolit exſultans diem,
Qui lumen extulit novum?
At pura, dices, non erant primordia,
Multumque faecis haeſerat:
Quae polluebat ora naſcentis gregis,
Chriſtique turpabat domum.
Surgebat inter laeta fundi gramina,
Avena, lappa, carduus,
Tribuli, cicuta, & omnibus nocentior
Spumantis herba Cerberi.
Hinc perſequendi a ſtirpe letales fibras,
Et eruendi funditus,
Inceſſit ardor, ſanior quos integros
Pars nutriebat Belgii:

Hos

Hos ſancta vindex rituum, mox convocat
Princeps Batavûm civitas.
Qui, concitante numine, intonſos Patres
Damnare certi conſident:
Et in rebelles ſancta vibrant fulmina,
Ferroque curant vulnera.
Tunc munda Chriſti ſponſa demum ſplenduit,
Novata flore candido:
Et caſtitate, virginis ritu, ferox,
Arcet profanas dexteras.
Nec ſe protervo pollui tactu ſinit,
Munita diris legibus,
Quas in novorum conditores rituum
Tulit triumphans factio.
Hunc certa noſtri corporis fax & Pharos,
Caſtique cuſtos pignoris,
Dehinc colendum poſteris decreverat,
Quod ſegregavit impios.
Utinam calorem comprobaſſent Principes,
Quo pervigil flagrat chorus.
At infulata praeſulum, quaeſo, cohors,
Ignoſce juſtis queſtibus.
Quis excidiſſe non Batavis faſtibus
Gauderet hunc atrum diem?

Quis ſcaevitatem temporum ſilentio
    Non optet aeterno premi?
Et nocte tectum gentis hoc mitis probrum,
    Neſcire mallet poſteros?
Tam triſte quis non liberis cervicibus
    Suſpiret inpoſtum jugum?
Dijudicanda num dediſtis arbitris
    Tam ſaeva ſanctis jurgia?
An ad verendi codicis fidem, gravis
    Suſcepta diſceptatio?
Aut an Quirini more vano Principis,
    Ex ore falli neſcio,
Tuliſſe per vos creditis ſententiam
    Coeleſtis auram ſpiritus?
Decreta caetus enſis annon Martius
    Mox vindicavit ſanguine?
Proſcriptione & jus tuentium fuga
    Foedavit aras & focos?
Senisque caede dura corda judicum,
    Et ora pavit Principis?
Sed vera victrix forte pars praeſcripſerit,
    Sunt juſſa certe, dogmata.
Divina vis credenda nobis imperet,
    Humana non auctoritas.

Sua-

Suadere verbis mollibus concordiam
 Chriſti decebat aemulos.
Hac Vaticanam lege nos tyrannidem
 Libentius mutavimus.
Sed quo nefandi temporis mentem rapit
 Memoria? ad Amſtelam redi,
Thalia dulcis; & Theatri nobilis
 Novata dic cunabula.
Et quem tuliſſe ſcena fructum civibus,
 Doctisque fertur vatibus.
Horrebat olim ſentibus loquacitas
 Vernaculorum barbara.
Ruris coloni, vix loquentes Belgica,
 Erant Theatri gloria.
Qui neſcientes carminis ſani modos,
 Inconditos dabant ſonos;
Materna verbis & jugantes exteris
 Se venditabant inſciis.
Leges ſeverae, Graja quas auctoritas
 Et quas Latina ſanxerat,
Et non movendi fabularum limites
 Genti latebant ſimplici.
Sed cum polire coeperat collegium
 AMORE FLORENS mutuo,

No-

Novaeque ſcenae jecerat fundamina,
Quae poſteris proluderent.
Mox ex Theatro, quod ſacrarat Amſtela,
Fandi peritis vatibus,
Prodire ſummos ſeculum vidit prius
Felicis artis principes.
Ut foeta, quondam lecta fudit robora,
Armis virisque machina.
Confuſa fugit, qua rigebat antea,
Plebeja ſcenae foeditas:
Urbanitatis & leporis gratia
Sermone fulſit ſplendido.
Et elegantis per nitoris arbitros
Leges loquendi conditae,
Docent honeſta verba judicem, & cito
Forenſis horror deſiit,
Et templa quod ſermone culto perſonent,
Et delicatis vocibus,
Id omne debent ſcenicis collegiis,
Mundare dicta quae ſtudent.
Hinc laude magna Belgicae princeps lyrae,
Vocis Batavae conditor,
Ludisque, priſca ſcena quos jam viderat,
Florebat ingens Hoofdius:

Olim

Olim Theatri & Rhetorum, ut vocant,
Magiſter & primum decus.
Conſors, nec artis cultor inpar Muſicae,
Ibat comes Vondelius:
Duram ſalebris aſperamque qui viam
Labore vicit improbo.
Ingensque turba, quam duobus addere,
Nil attinet verſu levi.
At vos, Alumni Palladis, quos aemulus
Incendit ardor carminis;
Et innocentis ludicri cultor, Chore,
Ferite laetam barbiton:
Certate doctis Amſtelae ſacrum piae
Celebrare cantibus diem.
Bonaque luce verba proloqui bona,
Et ominari patriae
Sereniora, quam fuerunt, tempora,
Acerba damnis bellicis,
Pacisque ſanctae & foederis cuſtodibus
Favere tam conſtantibus;
Scenamque, matrem qui tuentur artium,
Efferre dignis laudibus.
Optate libertatis arci, ut ſecula
Addat benigna mens Dei.

Ut ſalva cum tuentibus leges diu
Urbs efferat celſum caput.
Comesque doctae Palladis Cyllenius
Merces & artes protegat.
Huc adgerantur orbis amplae divitis
Terraque gazae & aequore.
Hic arca nummos fida ſervet, incolis
Cuſtodiens & accolis.
Ipſique, regum qui jugo preſſi gemunt,
Terraque triſtes condere
Coguntur auri pondus ingens abditi,
Ne praeda fiat Principi,
Laboris aegri & parcitatis munera
Huc congerant pecuniam.
Huc mille naves, orbe miſſae de novo,
Et mille portus compleant.
Et dum minores Amſtelae per alveum
Lintres ſine numero volent:
Yae fluenta claſſium ſub pondere
Gemant, tremente gurgite.
Praetexat oras ſilva nans, & fluctuans
Nemus coronet margines.
Vix urbis altae tecta ſint capacia
Huc confluentis hoſpitis.

Occa-

Occaſus huc & ortus & medius dies
Et inferat ſeptentrio
Mutanda noſtri dona fructibus ſoli,
Quae plena rumpant horrea.
Floreſcat uſque & uſque creſcat, omnibus
Commune gentibus forum.

CIƆIƆCCXXXVIII.

ALBERTO ALBERTHOMAE.

Cum florum ſemina ipſi mitteret.

EN tibi, dulce caput, promiſſos munera flores,
Quae tibi cum multa miſſa ſalute, tene.
Vile olus & frutices, vulgaria dona, rubetis
Et quae ſub denſis mollia fraga latent.
Scilicet ad fruges & agreſtia inutilis hortus
Poma, ſed ad flores ingenioſus erat.
Qui tibi nectendas praebebunt vere coronas,
Sertaque virgineas inplicitura comas.

IN MEDICUM PLAGIARIUM.

MIraris Medicum: proprio qui nomine ſcripta
  Edidit alterius; nec tamen erubuit.
Deſine mirari. multos impune necare
  Qui ſolet, hic furtum non putat eſſe ſcelus.

AD BLATERONEM MATTIACUM.

INvide quid laceras facundi carmina Vatis,
  Cur artem rides dic mihi, turpe pecus?
Sacrilegae cauſſam dedit ignorantia linguae,
  Carpendi, tacite quae ſibi abeſſe dolet.
Carmina ut Andini laudet ſublimia vatis
  Maevius, exigeret quis niſi mentis inops?
Dic mihi quî poſſet Ciceronis verba probare
  Grandia, qui foetens nil niſi ſtercus amat.
Carmina & ad leges facundia docta ſeveras,
  Crede mihi, non ſunt oris, inepte, tui.
Quod pedis officium, quae ſit menſura canendi
  Ignoras, vates & tamen eſſe cupis.

Scili-

Scilicet huic homini ſordet facundia bello,
  Damnat & artifici carmina facta manu.
At melius mores urbanus ſcurra protervos
  Corrigit, antiquae ruſticitatis homo.
Trajecti pubes, mores hoc finge magiſtro,
  Si tibi ſit cultis cura placere viris.
Captabis pulchras hoc formatore puellas,
  Ne dubites quin haec praemia ab arte feres.
Alter ut alloquio facilem ſibi reddat amicam,
  Nil niſi blanditias dicere tentat amans.
Hic ſonat horrendum quiddamque inamabile ſtridet,
  Ut rudit ad ſcabram turpis aſella molam.
Ut dominam exoret, ſupplex protendit amator
  Brachia, foetentes porrigit ille pedes.
Alter ut ingenuis dicas majoribus ortum,
  Arte latus, juſtos commovet arte pedes.
Hic (ne non dicas bene natum) ut ruſticus Umber
  Ambulat, agreſti varicat arte pedes.
Orator, populo ut placeant quaecumque loquatur,
  Facundos geſtu ſignat & arte ſonos.
Ne tamen huic adſit tam bellis gratia dictis
  Et digiti pingues & ſcaber unguis obeſt.
Frons aliis hilaris, mentiſque & pectoris index,
  Nec ſimulans vultu quae mala corde tegit.

Grande ſupercilium vultuſque huic fronsque caprina
  Sub ſpecie veri fallere ſueta pios.
Hae tibi ſunt dotes, hac praeſtas arte, bubulce,
  Nec dubito, quin te cuncta decere putes.
Adde quod ipſe tuae peragis praeconia famae,
  Et tua laus ſemper foetet in ore tuo.
Sed tunc praecipue, cum turbam, caſte ſacerdos,
  Femineam falſa credulitate moves.
Si qua eſt non fatui tibi plaudit femina ſenſus,
  Atque avida ructus excipit aure tuos.
Hinc tibi jure venit certiſſima gloria, felix
  Inventis poteris dicere; Primus ego,
Primus ego Arcadiis deduxi montibus artem,
  Primus ego in patriam ruſtica ſacra tuli.
Amſtela ſublimi merito jam vate ſuperbit,
  Quod tulerit Cajum terra Zelanda dolet.

EPIGRAMMA
in Eumdem.

DIcitur inſano flagraſſe libidinis aeſtu
  Paſiphaë, & turpi ſuccubuiſſe bovi.
Illa quidem poterat mendax & ficta videri
  Fabula, ni facerent tempora noſtra fidem.

Nubit

Nubit enim aurito, quis credat, Phyllis aſello,
Et peragit partes beſtia foeda viri.

DEO STERCULIO SACRUM.

EDere ſtercoreas, ludibria publica, chartas
Suetus, & in fratres turpe cacare lutum,
Melchior, obſcoeni ſe flectere numina ventris
Faecibus, & pacem poſſe parare ratus,
Vaccarum pro peſte facit dum ſacra latenti,
Putria pro ſuavi ſtercora ture dabat.
Cumque ſeni deerant pia verba, vicarius oris
Teter opus podex deficientis agit.
O pietas ſpectata viri! qui ſtercore dives
Stercoreas alvi dat graveolentis opes.
Laxaque dum rorant olidis femoralia merdis,
Peſtifero ſacrum replet odore locum.
Quid ſupereſt, animam niſi fundat ſtercore paſtam
Melchior, impuri duxque caperque gregis.
Neſcio an hoc poſito requieſcat ſtercore bobus
Dira lues: *Cypriis ſed medicina fuit.

COPRIANUS VETERINARIUS.

* Vid. Eraſm. Adag. in *Bos Cyprius.*

IN GORALLUM,
cum fruſtra in locum LIMBURGII Profeſſ. Theolog. ambiiſſet.

CArmina nocturnae Veneri vigilata Gorallus
  Ediderat, ſpurcis carmina plena jocis.
Agnoſcit meritum foedae propola Bovillus
  Mercis, & ingeminat terque quaterque, Sophos!
Eyndius acclamat, carioſa voce, boanti,
  Fitque malae cauſſae tutor, ut eſſe ſolet.
Huic date, quas egit partes Limborgius, & ſit
  Arminiae princeps ille paterque Scholae.
Sed rabido coetus dum pars ſincera patrono
  Reſtitit, in ventos clamor ineptus abit.
Praeficiturque ſacro Doctor ſine crimine ludo,
  Qui nequit inceſtae pervigilare Deae.
Gallulus ut calidis & ſtultis excidit auſis,
  Ad Venerem moerens talia verba dedit.
O Dea conjugii lethaei ſponſor & auſpex,
  Qua duce ſigna puer virque ſenexque tuli.
Cum mihi non liceat, turba prohibente profana,
  Myſtica Chriſtiadum reddere ſacra jocum.

Nec

Nec divina manu temerare volumina foeda,
  Numinis & vanos eſſe, docere, metus.
Praefice me turbae, quae veſtro laeta ſacello
  Pervigilans juvenes Cypria ſacra docet.
Me Quartilla colat, me Myſtam Pannychis unum
  Helleſpontiaci numinis eſſe velit.

AD DUCEM AURELIANENSEM.

FRacta gravi ſerie bellorum, exhauſta tributis
  Francia, damnoſi laſſa furore ſenis,
Praedaque ſacrificis, & turpi regis amicae,
  Pactaque jam, vetula conciliante, Notho,
Quam paene in ſpurias ſacri moderamina regni
  Fleverat, & ſceptri jura venire manus:
Regalis niſi ſtirpis honos & fama Philippus,
  Borboniaeque decus, ſed ſine labe, domus,
Sanguinis impuri furialibus obvius auſis,
  Fortiter ereptas aſſeruiſſet opes.
Et Phaëtonteis recreaſſet ab ignibus orbem,
  Francigenis referens ſecla priora ſuis.
Vive diu, Regisque tui fidiſſime Tutor,
  Intrepida teneas debita frena manu.

Te populus, Te miles amat, Tibi curia plaudit,
  Libera ſervitii, Te duce, colla gerens.
Integra Pontificum pars tecum, Francia Romae
  Ne ſpolium fiat, foedus inire cupit.
Tu modo, furtivi ſoboles ne ſordida lecti
  Regia praeripiat jura, cavere velis.
Jam nimium pollens, laſcivi crimine moechi,
  Ad ſordes redeat turba probroſa ſuas.
Rex puer a teneris, veris gentilibus uti,
  Conſorteſque ſuae diſcat amare domus.
Oderit, & turpes, opprobria ſanguinis alti,
  Ex oculis jubeat, ſic decet, ire viros.
Te duce, Te ſoboles uno contenta magiſtro
  Regia, mox caſtos optet inire toros,
Legitimaque ſuam renovare propagine gentem,
  Quae teneat patrià tradita ſceptra manu.
Sic creſcat, moreſque ſuos ad commoda fingens
  Publica, ſit populi plauſus amorque ſui.
Sed puero non longa ſecent ſi ſtamina Parcae,
  Aut ſubeat proavi crimine fata nepos.
Te, generis princeps, fauſtis, animoſe, ſalutet
  Ominibus Regem Francia laeta ſuum.

AD BELGAS
a ſociis Anglis deſtitutos.

BElga quid exſpectas? an jungat ut agmina Gallo
 Anglus, & in ſocios perfidus arma ferat?
Prodat ut in pretium furtivi foederis urbes,
 Vendat & argento moenia capta manu?
Ceſſatum ſatis eſt, falli vah deſine tandem,
 Incipe ſollerti mente cavere dolos.
Mars vigila: ſociis ne ſigna infeſta Britannus
 Inferat, & nudum vulneret enſe latus.
Omnia perjura tibi ſunt de gente timenda,
 Quae ſibi jura ferox ſcripta negare ſolet.
Pacta jocum quae ſacra putat, jurataque ludum
 Foedera, nec puram novit amatque fidem.
Nec Bavaro poſthac ſceleratas objice fraudes,
 In tua qui Franco viſcera fecit iter.
Anglia, dedecoris minuens opprobria tanti,
 Flagitii palmam jam gravioris habet.
Sed bene quae genti voluit non fallere doctae
 Reſpiciet Batavos cura benigna Dei.

Et caput in miſeri rediere ut principis artes,
Vertet in auctores hoc ſine more ſcelus.
Et fera diſcutiens aulae molimina falſae
Pro Batavum ſignis ſtabit, ut ante, piis.
Gallia perfidiae nunc facta magiſtra Britannis,
Mox ſceleris meritas exiget ipſa vices.

ALIUD EJUSDEM ARGUMENTI.

ANglia per Gallum Dominis ſubjecta ſuperbis,
Vinclaque ſervitii non toleranda gemens,
Saepe fidem dederat, ſi demeret illa Batavus,
Se meriti memorem tempus in omne fore.
Utque ſalus populis eſſet ſecura duobus,
Promittit ſocias in pia bella manus.
Vix bene convaluit, vireſque recepit avitas,
Ecce fera Batavis jurgia mente movet.
Bellaque communi nuper ſuſcepta periclo
Deſerit, & ſociis ferre recuſat opem.
Laetaque furtivo quod Belga rejecerat olim
Foedere cum Gallo, ſed ſine teſte, coit.
Et pretium peteret cum luſa Batavia pactum,
Reddidit haec, * fatuae quae lupus ante grui.
Gens ingrata, caput quae ſoſpes ab ore latronis
Abſtuleris, qua nunc praemia fronte petis?

* Vid. Phaedr. lib. I. fab. VIII.

IN

IN NATALEM

VIRI PRAESTANTISSIMI

JACOBI TERWII,

ULTRAJECTINI.

HAec eſt illa dies, quae, praeſtantiſſime Terwi,
  Te tulit, & vitae tempora prima dedit.
Feſta dies, longumque mero celebranda per aevum,
  Pulchrior o ſemper candidiorque redi.
Quam Bromio ſociata ſuo Venus aurea ſemper
  Numine conſuevit condecorare ſuo.
Nam ſimul es matris tumida prolapſus ab alvo,
  Suppoſuit blandas Diva proterva manus.
Et meus hic, inquit, puer eſt, quem aetate virenti
  Attrahet arcitenens in mea caſtra Deus.

Huic Jocus, & Paphii laſciva licentia ſacri,
  Huic vagus in primo flore placebit amor.
Dum loquitur, pueroque Venus blanditur amice,
  Cum Satyris Bacchi ſaucia turba venit.
At Venerem haud blando reſpectans lumine Liber,
  Quis dedit in partus, dic, tibi jura, novos.
Divide, ni totam mavis amittere, praedam,
  Praecipe nec meſſes invidioſa meas.
Sit tuus in prima, ſi vis, lanugine miles,
  Tempora ſed veſtri parva furoris eant.
Comprimit hinc parvum tremulis Silenus in ulnis,
  Et gremio, haec ructans, dulce reponit onus.
O puer, o regni quondam pars magna madentis,
  Si modo dent longos fata benigna dies.
Heus ſocii! date vina; ſitit pulcherrimus infans,
  Et tenero languens jam petit ore merum.
Ferte procul fatui nutrices pabula lactis,
  Uberibus non his parvus alendus erit.
Sed ſcyphus, & ſpumans annoſo cantharus adſtet
  Nectare, vagitum quod cohibere poteſt.
Sic meus acquiret vires & robur alumnus,
  Et creſcet bibuli fama futura chori.
Accurrunt Satyri, fuſoque in cornua vino,
  Concipiunt tales, ore madente, preces:

Bac-

Bacche Pater, noſtrae numen venerabile turbae,
Quae facimus, ſtudio fac rata vota tuo.
Nulla dies abeat, qua non tua munera libet
Terwius, & valido proluat ora mero.
Rara ſit appoſitis careat quae veſpera menſis,
Nox quoque per luſus pervigil omnis eat.
Fiſtula, quae folii coeleſtis ducit odores,
Excipiat vacuos ſaepe iterata ſcyphos.
Haec tibi tura ferat, templis haec munera donet,
Haec aris veniat victima crebra tuis.
Tu modo pelle graves ab amico pectore morbos,
Ne noceant hilari pocula ſumta manu.
Nulla pedes tentet nodoſa podagra tumentes,
Nec titubet foedo pigra tremore manus.
Ora tamen rubeant roſeo ſuffuſa pudore,
Et rutilo naſi forma colore micet.
Ut faciem Terwi videat quicumque coruſcam,
Dicat, aquae vitio non rubet ille malae.

AD CONSULTISSIMUM VIRUM
FLORENTIUM PETRUM PITTENIUM,

Contra datam fidem exſpectantes amicos & deſiderio ejus tabeſcentes deludentem.

PItteni quicumque lares intraveris, Hoſpes,
 Augurium veniat ne tibi triſte, cave.
Garrula non blando venientem Pica ſalutat
 Murmure, non blaeſo Pſittacus ore favet.
Dira avis, inviſum merito mortalibus omen,
 Noctua fert facie pocula prima truci.
Quae ſimul ac libes, veniunt oblivia menti,
 Sparſaque Lethaeo pectora rore ſtupent.
Efficit immemores heſterni Noctua dicti,
 Et grave pollicitis pondus abeſſe jubet.
Et fidei cum prima bonis ſit cura patronis,
 Cur maculat famam beſtia foeda tuam.
Quare age, Pitteni, ne poſthac fallere pergas,
 In tenebras, quaeſo, perfida cedat avis.
Vel tibi Palladio ponatur plena liquore,
 Dirigat ut doctam lumine foeta manum.

SCHE-

SCHEDIUM

HONORI VIRI AMPLISSIMI

PETRI HAACK DE JONGH,

CONSULIS.

ECce vices miras! ſuccedunt gaudia maeſtis
  Fletibus, & tota pellitur Urbe dolor.
Erigit everſos Fraterno funere faſces
  Jonghius, & vacuum jam tenet altus ebur.
Tollite Trajecti feſtivos moenia plauſus,
  Plaudite Wedeae quîs modo gentis amor.
Purpura non alios poterat decorare Penates,
  In merita maneat gloria longa domo.
Hoc voveo, hoc pro me genialis Muſa precare,
  Et domini ſubeas officioſa vicem.

1699.

AD VIRUM NOBILISSIMUM, AMPLISSIMUM,

JOANNEM DE WEEDE,

CONSULARI DIGNITATE ORNATUM

IPSIS KALENDIS OCTOBRIBUS.

A°. CIↃIↃCXCIX.

FEſta dies fulſit, laetae venere Kalendae,
  Debita mactetur Victima vota Deo.
Faſcibus ornatur Wedeae nobile gentis
  Sidus, amor populi, ſpesque favorque ſui.
O bona lux! votis lux ſaepe vocata bonorum!
  Ergo ades, & tecum gaudia quanta vehis?
Plaudite iö Cives, laeti concurrite cives,
  Plaudite, Wedaeum qui modo nomen amant.
Optima pars populi, cui res eſt publica curae,
  Gaudete, & laetos tollite in aſtra ſonos.
Tu quoque, Wedeae cultrix ſanctiſſima gentis,
  Muſa, move laetae carmina mentis opus.

Ille

Ille domus tantae longis venerator ab annis
  Burmannus, celeri te jubet ire pede.
Nec timeas denſae gratantum accedere turbae,
  Et tua cum Populi jungere vota pii.
Jure ſodalitii, (quo magno jungor amico,)
  Poſt alios, aliquem tu quoque poſce locum.
Fauſtaque ſincero fundas de pectore verba,
  Multaque honorato laeta precare Viro.
Conſule dic tali tibi carmina ſponte venire,
  Et fluere e vena divitiore modos.
Ne tamen hoc plenum ſit, poſt tot gaudia, votum,
  Quod voveas aliud dic ſupereſſe tibi.
Imperii ut faſces blandae ſubmittat amicae
  Conſul, & in Veneris foedera ſponſus eat.
Illa dies veniat, qua caſtis ignibus uſta
  Concedat thalamis virgo cupita tuis.

IN NUPTIAS
VIRI AMPLISSIMI
ERNESTI CASIMIRI WASSERBACCHII,
ET
CASTISSIMAE VIRGINIS
MARIAE DE TILHELN.

ERgo jam vidui rigor cubilis,
Et domus tacitae moleſtus horror,
Vitaeque otia coelibis fugantur?
Triſtes ſecubitus, pigroſque ſomnos
Gaudes ſuavibus oſculis puellae
Et mutare tenacibus lacertis:
Turbat jam Mariae calor quietem,
Pulchellae Mariae beatus ardor
Non pingui patitur frui ſopore;
Nec curis vacui dies aguntur,
Dum flammis, Caſimire, amoris ardes.
Urunt inſolitae ferox amantis
Pectus, & peredunt faces medullas.

Hu-

Hucuſque indomitum virum ſubegit
Virgo, cui Venus & Tonantis uxor,
Et, cui perpetuus pudor, Minervae,
Et chorus pueri favet volucris.
O factum bene! quod Cupido certas
In te, frigide, torſerit ſagittas.
Tu pulchri laqueos Dei doloſque
Luſiſti ſatis, o proterve, dudum.
Captus poſt nimias moras, acuta
Gemis ſpicula corde ſauciato;
Et ſentis Mariae ſecunda tela,
Quae vibrat rutilis decens ocellis,
Ipſis ſideribus magis coruſcis:
Cujus lactea colla dum licenti
Et pectus niveum manu pererras,
Non optas alia perire morte,
Quam blandis Mariae immori lacertis.
Frontis candidulae trahit venuſtas
Quae remiſſa jocos, ſaleſque multos
Et ſpondet vacuum dolore lectum.
Vincit purpureus decor genarum
Nativo Idalias roſas rubore;
Hyblaeis apibus faviſque Grajis
Dulcius redolet mel in labellis,

Fragrat cinnama, turcoſque odores,
Et ſuavis caſiam oris aura fundit.
O quot nominibus beate Sponſe,
Felix Virgine, quae pudore caſtam
Dianam ſuperat, decore Cyprin.
Haeret jam ſocio ligata vinclo,
Et ponens animum ferocientem
Propinat tibi baſiationes,
Quales nec Batavo tulit poëtae
Labellis tremulis Neaera quondam.
Ecce, jam gremium pudica pandit,
Nec Tilhelnia jam negare blando
Audet gaudia conjugi, ſed ultro
Optatas toties, dehinc perennes,
Portat delicias, torumque caſtum
Promittit lepida beare prole.
Vix Lunae coëant, precor, noveni
Orbes, quin Dea, quae ſolet puellis
Zonam ſolvere longius ligatam,
Partus difficilis levans dolores
Lecti pignora proferat jugalis.
Tunc gratum patriis onus lacertis
Sedebunt pueri, decora quorum
Parentum facies in ore fulget.

HONORI

PRAESTANTISSIMI JUVENIS

JOANNIS van WESEL,

QUUM SOLLEMNITER THEMIDI SACRA FACERET.

D. XVII. Decemb. CIƆIƆCXCI.

EXtinċti nuper lugebat maeſta Patroni
  Curia, Weseli funera acerba ſui.
Ereptumque ſibi flebat confuſa clientum
  Turba, quibus toties ſpeſque ſaluſque fuit.
Ne tamen in longos dolor hic excreſceret annos,
  Diva Themis tales edidit ore ſonos.
Magna viri eſt tanti, fateor, jaċtura, ſed illa
  Auſpiciis mox eſt reſtituenda meis.
Filius ingenio patriaque inſignis ab arte
  Tanta mihi & vobis damna levare poteſt.

Huic

Huic Aganippiades, doctiſſima turba, ſorores,
Et cum Fratre ſuo, Pallas amica favent.
Hoc ego, certa loquor, claro laudabor alumno,
Doctior hic docto patre futurus erit.
Hujus ad eloquium Trajecti roſtra ſtupebunt,
Hujus facundae fulmina vocis erunt.
Hujus adaequabit veteres prudentia Paulos,
Hic vobis alter Papinianus erit.
Vidi ego, quam longos exhauſerit ille labores,
Jam dabitur ſtudiis gratia digna ſuis.
Meta laboris adeſt; jam me ſua praemia poſcit,
Debendi docto ſum rea facta viro.
Ipſa meo nectam viridi de fronde coronam
Cultori, meritas jam premet illa comas.
Et tu Trajectum, manet hinc te gloria certa,
Adnumera feſtis hunc quoque, laeta, diem.
Tuque frequens, ſacris noſtris operata, juventus,
Ad mea ſublimem ducite templa virum.
Haec Themis: at gratans procedit turba, Lyceum
Gaudet, & applauſu perſonat omne forum.

IN

IN

LIBERTATIS, RELIGIONIS ET PACIS IMAGINES, IN LARARIO COMITIS

KNIPHUSII,

GRONINGANORUM ET OMLANDORUM NOMINE DELEGATI AD CONCILIUM FOEDERIS ULTRAJECTINI.

LIBERTAS.

Kniphusii tutela laris, calcataque dudum
 Sic juga Libertas ſub pede fracta terit.

RELIGIO.

Numina plebs fucata colit, ſed mentibus altis
 Religio nullo picta colore placet.

PAX.

Serta comis, dextraque gerens Pax mitis olivam,
 Innumeras cornu divite fundit opes.

1713.

VIRO PERILLUSTRI
THEODORO VELDHUSIO,
DOMINO DE HEEMSTEDE &c. &c.

ANnua ſollemni jam Muſa parabat honori
 Carmina, laetitiae pignora nota meae.
Sed pudor ingenuus, teneraeque modeſtia frontis,
 Laute vir, inceptum rumpere ſuaſit opus.
Tot, quibus exilem cumulaſti, munera, venam
 Ut faveam ſola nunc tibi mente, jubent.
Et manus, haud umquam captanda ad praemia nata,
 In ſolitos numeros prompta venire negat.
Quod ſupereſt, petimus tacitis a Numine votis,
 Ut tibi ſit merito ſemper honore frui.
Viribus & mentis vires ut corporis adſint,
 Et careat vitiis cruda ſenecta ſuis.
Candidiorque bonos hilaret lux ſaepe revertens,
 Heemſtedium nobis quae Patriaeque dedit.

D. XVIII. DECEMB. CIϽIϽCCXIII.

PRAE-

PRAETORIUM HEEMSTEDIANUM

A

J. HONDIO

AERE EXPRESSUM.

HOndius Heemſtediae ſolers miracula villae
  Pingit, & artifici rura beata manu.
Et nemora, & fontes, & conſita floribus arva,
  Antraque Naïadum, Pieridumque moras.
Hic locus Alcinoi laetos ſupereminet hortos,
  Nec ſinit Heſperium nomen habere nemus.
Cernis Oronteo laureta ſimillima luco,
  Aemulaque Haemoniis, Belga, vireta jugis.
Una tamen tabulae pars praeſtantiſſima deſit,
  Quae nequiit oculis conſpicienda dari.
Divitias ſuperans Domini mens lauta benigni,
  Quae decus & ſacri dos pretioſa loci.

AETERNAE MEMORIAE
INVICTISSIMI HEROIS,
DUCIS MARLBURGII, &c. &c.

ANglia continuos cui debet laeta triumphos,
Fixaque de Gallo mille tropaea locis;
Quo duce Libertas leges ſervavit avitas,
Et Pietas caſtos intemerata focos;
Quo Batavus ſocio dirum de finibus hoſtem
Depulit, & tectum gaudet habere latus;
Imperii quem ſceptra ſacri, quem grata fatetur
Auſtria res lapſas adſeruiſſe manu;
Inplevit meritis qui totum ingentibus orbem,
Vindice quo tellus & mare pace vigent;
Hîc ſitus eſt; terror Marlburgius hoſtis; at idem
Militis & Populi vita ſaluſque ſui.

VIRO

VIRO
NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO
FRANCISCO FAGELIO,
FELICITER.

MAgne vir, & patriae, quae fauſtae conſcia lucis
Condidit haec Faſtis gaudia, nate bono.
Foederis antiqui, quod gentes junxit amicas,
Dextera vindicibus conſiliumque probis.
Cujus ab eloquio creſcit pro legibus ardor,
Et viget in Patribus juris honeſtus amor.
Cujus ab hortatu majorum Curia famam
Vindicat, & ſemper laude recente viret.
Curia, quae toties linguam mirata manumque,
Fortis ad exemplum nititur eſſe tuum.
O quoties fugitiva tuis Concordia verbis,
Lapſaque de manibus pax reprehenſa fuit?
Publica Res quoties, veſtrà dum voce ſonaret,
Vidit amicitiae pacta novata piae?
Integra quam ceſſit numquam mens viribus auri?
(O probitas noſtro tempore nota parum!)

O animus contemtor opum, contemtor honorum,
(Dat tamen haec largâ patria grata manu)
Tutor, & o ſancti cuſtos praeclare, Fageli,
Pignoris, & Batavi publicus orbis amor.
Nec minus Aoniis (Te Maecenate Camena
Fert caput alta) decus praeſidiumque viris.
Pegaſei Patrone chori, quo vindice ſpretis
Artibus & ſtudiis redditur aequus honor.
Accipe, quae pro te numen placantia vates
Tura fero, mentis pignora certa meae.
Accipe, quae caſto de pectore maxima fundo,
Et precor in ſeros vota valere dies.
Vive diu, longeque togae laus prima Batavae
Inter honoratos jus tueare patres.
Parca neat viridi facilis longaeva ſenectae
Stamina, & albentis candida fila colûs.
Te, meritumque tuum praeſens intelligat aetas,
Et memori celebrent poſtera ſecla fide.
Te gens nominibus tot clara Fagelia magnis,
Ut rerum columen grande, caputque colat.
Tot quoque cultores haud cenſear ultimus inter,
Simque clientelae pars ego parva tuae.

PETRI BURMANNI POËMATUM

Liber Quartus et Ultimus Explicit.

EPI-

E P I C E D I A

I N O B I T U M

VIRI CELEBERRIMI

PETRI BURMANNI

J. U. D. HISTORIARUM, ELOQUENTIAE, LINGUAE GRAECAE, POËTICES, ET HISTORIAE FOEDERATI BELGII IN ACADEMIA LUGDUNO BATAVA PROFESSORIS ORDINARII, AC BIBLIOTHECAE PUBLICAE PRAEFECTI.

DEFUNCTI LEIDAE D. XXXI. MARTII.

A. CIↃ IↃ CC XLI.

Digitized by Google

EPICEDIUM
IN FUNERE
VIRI CLARISSIMI
PETRI BURMANNI,
SOLLEMNI ORATIONE A PATRE DILECTISSIMO LAUDATI.

SCilicet illud erat, fati quod praeſcia rauco
Gutture ramoſa cantabat ab ilice cornix!
Scilicet illud erat, rapidi quod fulminis ictu'
Percuſſas memini miſeris praedicere quercus!
Ergo jaces, Vir Magne, jaces; nec flectere Parcas
Tot potuere animi dotes; tot munera linguae;
Tot ſine felle joci; tam vaſta ſcientia rerum;
Totque catenatis congeſta volumina curis;
Et quae non noſtro diſtentae ſanguine venae
Caſtalio lympha ſalienti e fonte tumebant,

Diffuſusque ſacer per cunctos ſpiritus artus!
Me miſerum! humanis nulla eſt conſtantia rebus.
O! quam vana ſibi mortales ſomnia fingunt.
O! quoties, qua tu moribundi lumina dextra
Claudere, & obſcuro componere membra ſepulcro
Praecipis, haec eadem redivivi munere buſto
Conditur, & rerum facies mutatur, & ordo!
Hoc, Burmanne, tuo docuiſti, Magne, periclo.
Nam modo dum multo dilectum nomine Patrem
Vix prius auditi dira inclementia morbi
Letali adfigit lecto, mortemque minatur,
Adcurris teneri fato perculſus amici,
Amplexusque inter medios, interque ſuprema
Oſcula, & abruptas voces, lacrimasque fluentes
Schachtiadae monumenta tuo das ultima amoris.
Jamque Viro extremum, ſi ſic voluiſſet, honorem
Reddere, & inferiis perſolvere juſta parabas.
Dîs aliter viſum! vitali veſcitur aura,
Uxorique piae, & natis, carisque propinquis
Redditur, & Batavis, ſic Dî voluiſtis, Athenis!
O! Utinam, veteris quae reſtant ſemina morbi,
Incutiuntque metum, recidivum ſurgere poſſe
Virus, & infirmum ſubito proſternere corpus
Fulmine, marceſcant genitalis inania ſucci!

O!

O! ita Summe velis ſummi Moderator Olympi!
Sic ego ſaepe petam tibi templa dicata, piaque
Debita dona feram dextra, laudesque canoris
Carminibus celebrare tuas, dum vita ſuperſit,
Atque hilari pergam de pectore promere grates.
Vix Pater ancipitis ſuperat diſcrimina morbi,
Ecce tuum, Burmanne, caput, caput illud amatum
Pieriſin Phoeboque, petit Libitina, vibratque
Spicula, quae medica non poſſunt arte repelli,
Vulnus & infligit nullis ſanabile ſuccis.
Ah! cadis, & precibus fruſtra revocande tuorum
Petre, jaces, tetris ſemperque exſangue jacebis
Vermibus & tineis gratiſſima praeda cadaver.
Me miſerum! humanis nulla eſt conſtantia rebus.
O! quam vana ſibi mortales ſomnia fingunt.
Nam modo quem tacito nolebas funere mergi,
Te laudat dotesque tuas, &, corpore quamvis
Pulpita conſcendens infirmo, debita tantae
Praemia virtuti, fulvoque perennia ponit
Aere magis monumenta, & fidi fidus amici
Manibus officium praeſtans dat juſta beatis.
Hei mihi! quod cunctos leti vis ferrea nullo,
Seu Tros ſeu Rutulus fuerit, diſcrimine perdat.
Quid juvat ingenuas animum excoluiſſe per artes,

Si docti pariter, pariterque indocta caterva
Intereant, fato cineresque premantur eodem?
Quo nunc ingenii ſollertia mira ſagacis?
Quid citharae pulſaſſe fides, & nomen ab arte
Aonia tenuiſſe libet, ſi ſorte Marones
Non gaudent alia, ac ſtolidi ſine mente Vacerrae,
Et turpes Bavii, & picarum garrula turba.
Quid queror! hanc legem poſuit Deus: hanc ſibi legem,
Si ſapiant, poſitam mortales cernere diſcant.
Non totus, BURMANNE, tamen morieris; in omne
Poſteritas, meritis ſtupefacta, nepotibus aevum
Narrabit, quanto fuerit tibi parta labore
Gloria, quaque patet totus ſurrexerit orbis.
Dumque ipſi pereunt Reges, monumentaque Regum
Firma, ſolo dejecta, cadunt, tua fama, tuumque,
PETRE, decus ſtabit, dum ſtabit machina mundi.

JOANNES OOSTERDYK SCHACHT.

LES-

LESSUS

IN FUNERE

VIRI CELEBERRIMI ET PATRUI CARISSIMI

PETRI BURMANNI.

TU quoque, qui fueras plures digniſſimus annos
Vivere, debebas, Patrue care, mori?
Longa quidem, fateor, Tibi pars exacta ſenectae,
Nec niſi mortali corpore natus eras;
Non poteras fixam cunctis evadere metam,
Summa ſemel, quamvis ſerior, hora venit.
Perpeſſusque graves conſtanti mente dolores
In ſupera ſemper ſede beatus agis:
Cum tamen ille dies, quo, Dilectiſſime, vitam
Linquebas anima deficiente, ſubit;
Cum bona quot Tecum mihi ſint erepta recordor,
Et tua mors ſtudiis quam ſit acerba bonis:

Totus ab infando vincor moerore, nec umquam
  Indolui quam Te, Petre, cadente magis;
Non poſſunt oculi guttas compeſcere, teſtes
  Triſtitiae, medio quae mihi corde ſedet.
Luminaque ut lacrimis hument, ſic lingua palato
  Haeret, & abruptos dat gemebunda ſonos;
Mens oppreſſa jacet tanti ſub pondere luctus,
  Deque tuo penitus funere tacta ſtupet;
Quaerit, at incaſſum, ſolatia nata dolorem
  Tollere, nec quidquam quo capiatur habet;
Flere juvat tantum, juvat indulgere querelis,
  Sunt procul ex animo gaudia pulſa meo.
Illa mihi Tecum perierunt omnia, Tecum
  Illa mihi miſero ſuſtulit una dies;
Ah funeſta dies, & deploranda, ſuperſtes
  Dum meus in vivo corpore ſanguis erit!
Quam grave Te faciam moriente, Vir optime, damnum,
  Percipioque ſatis, comperiamque nimis.
Ante Pater primis mihi cum raperetur in annis,
  Haec jactura quidem non reparanda fuit;
Sed tamen ex aliqua reddebas parte Parentem,
  Tu meus adfectu nam Pater alter eras.
Utque decet Natum, ſic Te venerabar, & a me
  Pectore non poteras candidiore coli.

Nec

Nec mea, quod memini, pietas Tibi deſuit umquam,
Si licet a vero non aliena loqui;
Hoc meruit, puero mihi quem juvenique viroque
Praeſtabas, tenero corde paternus amor:
Et ſtudiis impenſa meis tua cura regendis,
Quorum Te laetor, Petre, fuiſſe Ducem;
Quidquid in his igitur profeci, carmina quidquid
Sunt mea, praecipue muneris omne tui eſt:
Tu mihi monſtrabas, quaenam via ducat ad altum
Doctrinae culmen, quoque adeunda pede;
Et fugere ambages, quîs neſcia ſaepe juventus
Errat in ambiguo ſtansque manensque loco;
O quoties genus omne mali vitare monebas,
Nil niſi virtutis praemia ſola ſequi.
Et bene, quae numquam redit, uti aetate, nec ullis
Ut pereat nugis tempus inane pati.
Sed premere adſiduis veſtigia Patris Avique
Paſſibus, amborum ut nomina nota gero?
Haec & plura dabas praecepta ſalubria, per quae
Addebas animo calcar ad ampla meo;
Sic vitam moresque meos formare ſolebas,
Et rigidus Cenſor non tamen aſper eras;
Profuit hoc poſthac: ſub Te creviſſe Magiſtro
Fortunae cauſſa eſt prima caputque meae.

Atqua

Atque utinam raptus nondum mihi morte fuiſſes;
Utilis in primis cui tua vita foret!
Nunc miſer aeternum careo, quo ſaepe fruebar,
Auxilioque tuo conſilioque tuo;
Nec mage facundo pendere licebit ab ore,
Diſcere vel Latium quidquid & Hellas habet;
Non dabitur Tecum ſpatiari rurſus, amoeno
Et ruri aeſtivos degere poſſe dies:
Dulce Bateſteinum teſtor, quae tempore longo
Villa prius juveni poſt Tibi culta ſeni,
Quae celebrata tuo nuper bene carmine, cycnus
Quale canit, quando fata propinqua vocant;
Non ego te Leidae ceu quondam, Petre, videbo,
Grata tuo adſpectu quae mihi ſemper erat.
Cujus & in toto laudata Academia mundo
Jure ſuum nunc Te luget abeſſe decus;
Illic poſtremum Te cernere contigit, inter
Et Tecum lacrymas ultima verba loqui.
Illic (ah jam tres abierunt circiter anni!)
Supremum moeſto diximus ore vale;
Cumque relinquebam tua tecta invitus & urbem,
Anxia mens taciti plena timoris erat.
Et praeſaga mali jam tum metuebat, ut umquam
Luminibus poſthac conſpicerere meis,

Quae-

Quaeque verebatur, quamvis falſiſſima mallem,
  Exitus ah nimium vera fuiſſe probat!
Dum me dumque tuos vidua cum Conjuge Natos
  Deſeris, & carum quidquid in orbe fuit:
Hei mihi, perpetuo quod non rediturus abiſti,
  Nec licuit Te vel poſſe videre ſemel,
Aut adſtare toro, morti cum proximus eſſes,
  Et flentes lacrimis adſociare meis!
Oraſſem pro Te ſummum prece ſupplice Numen,
  Junxiſſem votis & mea vota tuis,
Oſcula fixiſſem gelidis arctiſſima labris,
  Clauſiſſetque oculos officioſa manus;
Nunc illud pietatis opus cum fata negarunt
  Triſtia, nec praeſens Te moriente fui,
Hos elegos, gratam teſtantia pignora mentem,
  Accipe pro meritis, PETRE beate, tuis.

FRANCISCUS BURMANNUS.

OPTIMIS MANIBUS

PETRI BURMANNI,

POËTAE PRINCIPIS.

Sunt ubi nunc Charites, ubi nunc Tua Numina, Phoebe,
Et ſi quid bifido regnat, ut ante, jugo.
Nam quaſi nulla pios tegeret tutela Poëtas,
Audet Piërios mors violare Deos.
Quis tibi, Parca, dedit tantas in carmina vires,
Ut quaeras nimium ſemper avara decus?
Hos rape, qui nequeunt praeclaris dotibus uti,
Hinc tibi, ſed facilis, jure triumphus eat.
Effugiant meriti, ſic fas, mala ſtamina Vates,
Non tua, ſed Clario turba dicata choro.
Scilicet egregium decus, & laus amplior, unum,
Et morbis fractum, ſternere morte ſenem.
Major & ut tantis cumuletur gloria coeptis,
Quis credat ternas id valuiſſe Deas?

Inte-

Interea, Vir magne, jaces, qui Neſtoris annos,
  Atque parum volui, vivere dignus eras.
Interea, Burmanne, jaces, flos candide Vatum,
  Quo voluit melior Cynthius ore loqui.
Jamque Bateſteini videor mihi cernere vultus;
  Ut decet, inmiſſis moeſta per ora comis.
O quoties Dryades ſtupefactae carmine Nymphae
  Hauſerunt placitos aure favente modos!
O quoties medium tenuerunt flumina curſum,
  Dum negat adtonitis pergere Rhenus equis!
Nempe extincta Tui ceciderunt gaudia plauſus,
  Cum Tibi Parnaſus, cum Tibi Pindus erat.
Naïadumque chorus paſſis fera funera plangit
  Crinibus, & nimias fletibus auget aquas.
Currite perpetui lacrimarum, currite, rivi,
  Currite, nec querulis meta ſit ulla ſonis.
Sic potius juſto licet indulgere dolori,
  Et rabida fati de feritate queri.
Nos quoque, ſi Latias mihi fas ſit tangere chordas,
  Paſſibus & dubiis nomina magna ſequi;
Nos Pietas, Tua nos, quae flecti neſcia, Virtus
  Cogunt Pïëriis ingemuiſſe malis.
Quis quaeſo Aönias ſine Te celebrare choreas
  Audeat, aut teneram ſollicitare chelyn.

Quo duce Apollo ſuos laetatus ſurgere colles
Deſtituit ſolitos, deſtituatque! focos.
Et ſe per Batavas bene tutus condidit urbes,
Quîs vigeat populi clarus amore ſui.
Concidit at cupidis, dolor ah! ſpes unica votis,
Et Phoebi & noſtrum gloria prima jaces.
Orpheu, ſi pudor eſt, ſi quid Tua carmina proſint,
Et poteris tantum reddere, redde Virum.
Sed quid ego haec reputem, nil proficientia perdo
Vota, vel invitis grata futura Diis.
Vatibus hoc Superi melioraque fata dederunt,
Ut timeat nullos gloria parta rogos:
Perdere ſi liceat truculento corpora leto,
Deſpiciunt rigidas carmina ſola minas.
Carmina Maeonium poſuere in ſidera nomen,
Sic vel ſunt ipſo carmina digna polo.
Quin etiam exanimes vivunt per plectra Marones,
Nec minus Auſoniae fila canora Lyrae.
Saevior Auguſtus Buſiride carmina, Naſo,
Credidit exſilio poſſe perire Tuo.
Caeſaream interea ſuperant Tua carmina famam,
Qui, dum jura manent, jure tyrannus erit.
Hic etiam vacuos ducis mors luſa triumphos,
Oſſa tenes tanti reliquiaſque Viri.

Dum

Dum colet Elyſios felicior umbra receſſus,
  Cumque piis animis tempora laetus aget.
Gratior occurrit venienti turba Poëtae,
  Excipit & Vatem per rata vota Suum.
Naſo ſalutiferam properat contingere dextram,
  Inponens meritis Civica ſerta comis.
Quoque laborarat, deterſo vulnere Flaccus
  Extollit medici tot benefacta ſui.
Attamen Arma Maro proſtrata jacere Virumque
  Luget, & ereptum deperiiſſe decus.
Sic iterum Priamus, ſic ſentiet Ilion ignes,
  Ardebitque novis altera Troja rogis.
Falleris, & quamquam primum Tibi Parca negavit,
  Qui Tua defendet moenia, PETRUS erit.
Aeternum, BURMANNE, vale, ſi publica quidquam,
  Si mea vota juvant: SIT TIBI TERRA LEVIS!

JOANNES ARNTZENIUS.

IN FUNERE
VIRI CLARISSIMI
PETRI BURMANNI, J. U. D.
HUMANITATIS STUDIORUM IN ACADEMIA LEIDENSI PROFESSORIS, ETC.

CUI JUSTA PERSOLVIT

VIR CLARISSIMUS

HERMANNUS OOSTERDYCK SCHACHT,

A. L. M. PHIL. ET MED. D. ET HUJUS ETIAM DISCIPLINAE PROFESSOR ETC.

ORATIONE HABITA D. XXVI. APR. CIↃIↃCCXLI.

QUam fragile & leve vita bonum! Spondere quis auſit
Stamina, quae nullo tempore Parca ſecet?
Non genus, aut pietas perituro profuit unquam.
Quid juvat Aonium demeruiſſe chorum?
Invida Mors furvo quaſſat pede culmina Pindi:
Limina Pieridum clade nec ipſa vacant.
Hos teſtor cineres, ſemper tibi, Leida, colendos.
Tam devota tibi dextera nempe jacet.

Ille

Ille amor, Ille ſui Burmannus gloria ſecli,
Spe citius, quamquam ſerus, ad aſtra redît.
Dignus erat Pylii, ſi quisquam, Neſtoris aevum
Degere Vir, quo nil Belgica majus habet.
Qui vitae canet acta tuae, Burmanne, capacis
Tot dotes animi qui memorabit, ubi eſt?
Unus in his terris (ſic ipſa Calumnia cenſet)
AEquandus vena nemo, vel arte, tibi.
Hinc tua Sparta data eſt, te deficiente, duobus.
Egiſti partes, quas duo, ſolus, agunt.
Pectora, ſancte Senex, tua Succeſſoribus, & vim
Eloquii ſumma ſuggere ab arce novam.
Teque volens placidis inſpira vatibus: horum
Ora, precor, Clarii munere tingue favi.
His tua, Pegaſidas haurire faventibus undas,
Inſtar Maeonii carmina fontis erunt.
Te bona poſterîtas leget, & tua (rumpere, Livor)
Laudabit lacrimis, clare Vir, oſſa ſuis.
Zoïlus antiquum quamvis impugnet Homerum,
Gloria, quam tribuit Muſa, perennis erit.
Una dies certae mortalia cuncta ruinae
Ante dabit, quam laus carmine parta cadet.
O utinam vigeat manſurum nava juventus
In decus exemplo, Petre beate, tuo!

Flo-

Floreat o Batavum numeroſa pube Lyceum!
  Tot doctrinarum creſcat alumna domus!
Accedat, cui juſta tulit pia, tardus Amico
  Hermannus, Medicae maximus artis honor!

EPITAPHIUM.

Hic ſitus eſt Batavi decus & dos unica Pindi,
  Praeſes Apollinei Petrus amorque chori.
Cui bona Mens animum formavit, Gratia mores,
  Ingeniumque novem perpoliere Deae.
Quo melius quidquam viderunt nullla priorum,
  Quo nil candidius poſtera ſecla ferent.
Mantua Virgilio, Sulmo Naſone ſuperbit:
  Burmannus Batavae gloria gentis erit.

ABRAH. ARN. VAN TOLL.

D. M.

D. M.

VIRI SUMMI

PETRI BURMANNI

A VIRO CELEBERRIMO ET ELOQUENTISSIMO

HERMANNO OOSTERDYK SCHACHT

DOCTISSIMO SERMONE FUNEBRI

LAUDATI.

Heu! cecidit Batavi BURMANNUS prima Lycaei
Gloria; jam tanti luminis Orbis eget!
Inclita LEIDA gemit; lugent jam Palladis arces
Omnes, quas toto, qua patet Orbis, habet,
Hoc pereunte Viro dum triſtia damna tulerunt,
Et quae ſunt ſero vix reparanda die.
Huncce novem Muſae, Phoebusque hunc ipſe colebat;
Quem Grajo natum dixeris eſſe ſolo;
Quem ſtupuit, ſermone ſuo, celeberrima Roma,
Quum faceret grato verba diſerta ſono.
Magna Viro doctrina fuit, fuit ardua virtus,
Morumque integritas & pietatis amor.

Aſt ego quid cuperem Burmanni commemorare
  Virtutes tantas ingeniique bona?
Schachtius hocce valet ſolus, cui mellea ſuada,
  Cui quoque amicitiae foedere junctus erat.
Burmanni nomen nunc laudatore ſuperbit,
  Namque os nobilius non mea Leida daret.

DANIEL D. F. van ALPHEN. JCtus.

MEMORIA
VIRI CONSUMMATISSIMI
PETRI BURMANNI
AETERNITATI CONSECRATA
A
VIRO CELEBERRIMO
HERMANNO OOSTERDYK SCHACHTIO,
ARTIS MEDICAE PRINCIPE.

Palladis Auſoniae decus inſuperabile, vindex
  Caſtalidum, Charitis liberioris amor,
Burmanne, heu vatum nuper lux alma, minutâ
  Nunc permiſtus humo flebilis umbra jaces!

Heu

Heu miſeram ſortem, precibus votisque bonorum
  Mortali tandem faece ſolutus obis!
Scilicet inmenſo fractum lacerumque dolore
  Abſumſit trunco crure maligna lues.
Haud aliter fertur tabo Paeantius heros
  Indomito querulis inlacrimaſſe ſonis.
Quem ferale malum non movit? quisve ita durus
  Non doluit miſeri fata vicesque ſenis?
Ingemuit Livor mutato more, ſibique
  Diſpar, & Invidiae vox miſerantis erat.
Vosne adeo hanc peſtem Cirrhaeae numina vallis
  Flectere Apollinea non potuiſſe manu!
Ut modicam ſenſu, ſi cetera fata vetabant,
  Cultori in tetro vulnere ferret opem!
Ecquid poenituit vos deſeruiſſe ſodalem,
  Cui numquam veſtrae defuit artis amor!
Inpigra letifero non ceſſit cura dolori,
  Expoliens coeptum grande Maronis opus.
Et moribunda manus nondum laſſata labore
  Mentis inexhauſtae pignora certa dedit.
Libera quae Elyſiis jam nunc ocurrit in oris
  Manibus Heinſiadae Broukhuſiique ſui.
Nunc Flacci memorat ſortem, nunc fata Faliſci
  Vlitius inquirens diſcit, ovansque probat.

Ut quoque Perſephones raptum purgaſſet ab omni
Sorde, refert, ſpatium ſi breve nactus erat.
Naſonemque ſuum curas ſperaſſe ſecundas,
Damna ſed alterius nunc reparanda manu.
Francius artifici eloquio, ſed Graevius ore
Grandiſono adparent nomina culta diu.
Quosque alios habuit genii doctique leporis
Non triſtes ſocios nec ſine laude viros.
At nos defuncto ſpatioſae munere vitae
Plaudimus & cineri juſta dediſſe juvat.
Flevimus inmeritum dilato mortis iniquae
Augurio Parcas dilaceraſſe ſenem.
Nunc ubi coeleſti fruitur mens purior aura,
Defleri querulis nollet & ipſe modis.
Exemtum terris, meliori ſede locatum
Proſequitur merito pignore verus amor.
Jacturamque dolens Academia fungitur aequo
Officio, & triſtes miſcet honore ſonos.
Concurrit Batavi non inconſulta leporis
Undique gratanti pectore turba frequens.
Et vero vultu, venerando Schachtius ore
Progreditur docto concomitante choro.
Quique dedit vivo curae ſolamen amicae,
Perſolvit ſimili juſta ſuprema fide.

Maſcula

Maſcula Burmanno ſolvuntur juſta, vetuſtas
  Quae mandet memori marmore digna viro.
Ut variat Natura vices! ut ſaepe querelis
  Inverſis renovat fata inopina Deus!
Atropos obſcuro pridem minitata periclo
  Stamina Schachtiadae rumpere viſa fuit.
Adfuit artifici tentamine, vixque putabat
  Boerhavius leto tum ſupereſſe moram.
Tum quoque Schachtiadae Burmannus forte parabat,
  Quae pietas peteret debita juſta ſuo.
Nunc miſero abſumti leto deflentur uterque;
  Schachtiadae triſtes abſtinuere i eae.
Quid: quum nec ratio nec morbi cauſſa ferebat
  Hunc poſt haec ſeptem vivere poſſe dies:
Vivit adhuc, ſed & in vivis utrique ſuperſtes,
  Ipſe ſua coecum ſublevat arte malum.
Quid pietas, quid amica fides non perficit? omni
  Qua valet arte colit proſequiturque virum.
Dignaque Burmanno, longinquo debita cultu
  Ore gravi moeſto pectore verba fluunt.
Plaudit & exſultans gratanti voce precatur
  Schachtiadae longos concio docta dies.
Interea memori pubes generoſa ſuſurro
  Burmanno plauſum teſtificata ſonet.

Congerat ad buſtum moeſtus ſua munera vatum
  Et terram relevet ture meroque chorus.
Et quamvis pompae meritum deſpexit honorem,
  Oſſaque ſemota condere juſſit humo,
Obſcuram inluſtrent feſtivo carmine ſedem,
  Et culto renovent annua ſacra loco.
Harmela, mellito vicinis nota liquore,
  Fama tuum poſthac nomen ad aſtra feret.
Teque Bateſteino junctam mirabitur hoſpes
  Explorans magno digna ſepulcra viro;
Supplebitque videns monſtrante notabile ſaxum
  Aedituo, abrupti carminis usque memor:
Hic ſitus eſt nulli Burmannus honore ſecundus,
  Ut celebret tenuem nobilitate locum.

HENR. SNAKENBURG.

L E S S U S

IN FUNERE

VIRI MAGNI

PETRI BURMANNI,

LITERATORUM ET POËTARUM PRINCIPIS.

Hoc habet: attoniti Burmannam flemus ad urnam,
  Praetegat incultam taxea virga fidem!
Sic decet: ipſe chelyn veſtit moerente cupreſſo
  Cynthius, & ſolito palla decore caret.
Ah deſolatae Mnemenides ora frequenti
  Moeſta rigant lacryma, pectora tunſa rigant.
Adſpice Palladios ſapiens Academia vultus!
  Vix haeret digitis aegis & haſta Deae.
Infracta eſt crebris Facundia clara querelis!
  Ut ſilet! ut claudit labra diſerta dolor!

Abji-

Abjicit en Critice limam confuſa ſtylumque,
  Nam ſua praeluſtri vindice ſacra carent.
Lancinat en poſitos Charis Auſonis usque capillos,
  Et dolet ipſe fugans gaudia mente Jocus.
Hiſtoria hunc cupiens faſtis inſcribere nigris
  Moeſta diem, retinet terque quaterque manum.
Ah decet & fas eſt, inquit, ſed fungitur aegre
  Officio crudo tarda dolore manus.
Sedulitas agiles languet moeroribus artus,
  Burmanni ſtudium ſueta movere ſui.
Ah! ubi Petre lates cariſſime? clamitat Eos,
  Ante meos ortus linquere ſtrata ſolens.
Omnia nam fuerant comites haec numina ſummo,
  Quem miſerûm flemus jam pia turba, Viro.
Magne pater vatum, Pithus mirande ſacerdos,
  Maxima Trajecti gloria, jugis honos:
Maxima Lugduni quoque gloria, ſumma voluptas,
  Nunc deſiderium, nunc nove, Petre, dolor:
Heroum ſuboles doctorum, clare tropaeis,
  Plurima Barbaries quae tibi fuſa dedit.
Maxime vervecum terror, flagrumque Vacerris
  Acre; ſed ingenuo pectora plene ſale:
Deliciae docti convictus, gaudia vitae,
  Quo frontem explicuit ſaepe jocante Dolor.

Quis

Quid tibi non debet gelidi Sulmonis alumnus?
Reddidit Auſonium cui tua lima decus.
Plurima jam fulgent ſine mendis, pauca legentem
Auxilio tardant, Ingenioſe, tuo.
Ut cupimus curiſque tuis, Vir magne, politum
Heinſiadaeque tui grande Maronis epos!
Laudibus haud vanis Suetoni fide ſuperbis,
Quod fueras culti cura laborque Senis.
Non minus acceptum tibi Clio, PETRE, Valerî,
Aurea quae cecinit vellera rapta, refert.
Non minus Aeſopi veſtigia pone ſecutus
Phaedrus ab innumera labe levatus ovat.
Gratius arma canens venantum, Muſaque debet
Plurima BURMANNO Nemeſiana ſuo.
Ecloga Calpurni lima digniſſima PETRI
Nunc etiam cultu tota decente nitet.
Et, quae narrat iter, ſuaviſſima Muſa Rutilî,
Materiamque potens quîs medicina dedit.
Quaeque ſui mores, Romana Poëtria, ſecli
Devovet, & legem, dire tyranne, tuam.
Et, qui bella ſonat plus quam civilia, vates,
An magis hiſtoricus? ſed tamen ore potens.
Quinctiliane nites mage pura voce, magiſque
Eloquio, PETRO te poliente, vales.

Arbiter, ingenio dictiſque replete venuſtis,
  Reddere quot vitam non cupiere tibi?
Tu reddis, docta, BURMANNE, favente caterva,
  Inſtruit hinc mundum quae bene gnava ſuum.
Hiſtoriam illuſtrans Latii Velleius, amicam
  Furtivo PETRI tempore ſenſit opem.
Fulgura dum loquitur, Burmanni cura, Tonantis
  Cecropia retinet pectora docta dape.
Auſonii cultor ſibi Vectigalia juris
  Vindicat, & cupido lumine luſtrat opus.
Sed vos, quos rapiunt facundae flumina linguae,
  Vos juvat ingenium ſuadaque culta Viri:
Dum quatit ingenuo cathedras & pulpita riſu
  Immiſcens lepidis ſeria multa jocis.
Sed tamen in primis tua dos, Vir magne, Poëſis,
  Illa tibi vitam debet & omne decus.
Utque nihil cedas celebri, BURMANNE, Magiſtro,
  Graevius hac debet cedere laude tibi.
Parnaſi videor conſiſtere rupe, canorum
  Pieridum videor laetus inire nemus.
Vel duxiſſe tuas, puriſſima Caſtalis, undas,
  Cum BURMANNA tenet pectora noſtra chelys.
Eloquar an ſileam! te nobis, magne Poëta,
  Lauriferum ad Pindum ſaepe fuiſſe ducem.

Ah

Ah pudet, & celebres laudes tenuaſſe veremur,
  Dedecorique Viro Muſa futura mea eſt.
Sit tamen illa rudis nec tanto nomine digna,
  Illa tamen grata eſt, Petre, tuique memor.
Nec pia committit, lacrimis quin uvida veſtros
  Continuis cineres oſſaque lecta riget.
Nam ſi, qui memoret tibi convenientia, ſolus
  Dignus erit carmen fundere, nullus erit.

Gerardus Schróder.

EPICEDION

IN OBITUM

VIRI CELEBERRIMI

PETRI BURMANNI,

PATRUI DESIDERATISSIMI.

DEFUNCTI LEIDAE D. XXXI. MARTII.

CIↃ IↃ CC XLI.

TEmpus ad hoc vernos Muſis ſacravimus annos,
 Et dedimus Clariis otia laeta choris.
Atque alacres bijugi tentavimus ardua Pindi,
 Laurus ubi umbroſum plurima reddit iter.
Et mihi neſcio quid promittens lumine blando
 Arcitenens nutu ſigna ſecunda tulit.
Aonideſque ipſae nitentem ſcandere viſae
 Auxiliatrici ſaepe levare manu.

At

At mihi jam nullus ſtimulat praecordia Paean,
  Nullus agit flatu pectora mota Deus.
Mens hebet, & Patrui percuſſum funeris ictu,
  Si qua fuit, ſolitum deſerit artis opus.
Lingua riget, cui nulla ſitis Permeſſidos undae,
  Et ſtupet in tanto vulnere pectus iners.
Da veniam, quiſquis miraris, carmine nullo
  Conſcia me fletus verba dediſſe pii;
Cumque tot officium praeſtent ferale Poëtae,
  Me ſolum ad Patrui buſta tacere mei.
Indomito, fateor, ſuccumbit Muſa dolori,
  Mutaque, dum manes tentat adire, ſilet.
Saucia in extremo quaerit ſolamina luctu,
  Quodque canat, nullis invenit aegra modis.
Reprimit & queſtus, confuſaque verba loquentem
  Deficiunt, vocem ſtrangulat ipſe dolor.
Talis narratur quondam Pataraeus Apollo
  Ad tumulum Inachii conticuiſſe Lini.
Orphea ſic poſitis ſine cantu ad Strymona plectris
  Funere in Eurydices obſtupuiſſe ferunt.
Tuque adeo ignoſcas, inſtar mihi numinis umbra,
  Si quid adhuc Petri fas meminiſſe tui;
Manibus inferias pietas quod tardior offert
  Miſſa quidem ſero munera, miſſa tamen.

Officium ſi lenta pium ceſſavit, & udo
  A lacrimis leſſu non comitata rogum eſt;
Parce precor, tacitis quod adhuc ſine teſte querelis
  Solaque deflevit propria damna ſibi.
Parce precor, pietas non defuit, ora recenti,
  Dî mihi ſint teſtes! vulnere preſſa ſilent.
Pieridas teſtor nequidquam in vota vocatas,
  Te moriente, meos deſtituiſſe lares.
Ter mihi ſumta chelys, digitis ter ſumta relapſa eſt,
  Dextra ter invitum ſollicitavit ebur.
Te ſine Corycii penetralia clauſa receſſus,
  Orgia Phoebaei te ſine muta chori.
Te ſine dedidici placitam modo carminis artem,
  Potus Hyanteae te ſine ſordet aquae.
Ah Patrue! ah noſtrae praeſens modo cura juventae,
  Hactenus & ſtudiis Dux mihi certus, ubi es?
Quid mihi nunc animi, ſed ſenſum animumque dolenti
  Eripuit fati vis, ſupereſſe putas?
Ex oculis cogor mea cernere gaudia, & omne
  Praeſidium Muſis, quod fuit ante, rapi.
Quodque mihi reddent viduato nulla dabuntque
  Secla, decus miſero ſuſtulit una dies.
Quo fugis ah carum me, fide Magiſter, alumnum,
  Deſtituis Petrum nec rediture tuum?

Quem-

Quemque manu a tenero formaſti ſedulus ungue,
  Diſcipulo ſolitam ferre negabis opem?
Tu puerum, primis mihi cum Pater optimus annis
  Intempeſtivo funere raptus erat;
Cum rude praeclaras eſſet mihi pectus ad artes,
  Dignatus tectis adſeruiſſe tuis.
Primus inexperto docuiſti tramite greſſum,
  Suſpenſumque ſacro ponere calle pedem.
Et tremulis citharam digitis pulſare ſonoram,
  Plectraque jam tenera ſumere docta manu.
Teque modum praebente, rudes deducere verſus,
  Fingere & Auſonios, te praeeunte, modos.
Tu juvenem ad Clariae duxiſti Phocidos antrum,
  Et quo tu ſolitus fonte bibiſſe, dabas.
Auſpiciis animoſa tuis, fidentior ire
  Coepit, & Aonium viſere Muſa nemus.
Per te vervecum nugas ridere canoras,
  Et frugem abjecta glande probare bonam;
Per te divinos mirari edocta poetas,
  Anſeris & rauci ſpernere murmur iners;
Et didicit niveis aures adſueſcere Cycnis,
  Quale canunt ripis, unda Cayſtra, tuis.
Foedave limoſa quid Rana palude coaxet,
  Stridulaque ingrata voce Cicada ſtrepat.

Dirus

Dirus ab arguta quid diſtet aëdone bubo,
  Firmaſti exemplo, magne poëta, tuo.
Tu Latiae Pithûs mihi pectora rore rigaſti,
  Oraque Cecropii nectare foeta thymi.
Quid variae gentis, genuinis eruta chartis,
  Temporis & priſci noſcere fata juvet;
Tu mihi veridica monſtraſti pandere lingua,
  Hiſtoricam patriae nec violare fidem.
Mox etiam Critices reſeraſti templa ſagacis,
  Templa ſed a vulgo non temeranda rudi.
Quamque viam Heinſiades Gronoviadeſque ſecuti,
  Graevia recluſit quam tibi dextra prius;
Semitaque, Heroum qua tendere ſueta propago,
  Ducat ut ad verae regia laudis iter.
Devia ſed fatui ſtolida de plebe magiſtri
  Teſqua parum fauſto quae tenuere gradu;
Te memini ignarum monitu docuiſſe ſevero,
  Et juveni cauta ſaepe notaſſe manu.
Si quid in his igitur profecimus, aut mihi fama
  Carminibus veniet quantulacumque, tuum eſt.
Haec grata debere tibi nos mente fatemur,
  Et curae acceptum, Petre, referre tuae.
Nec memorem illorum tangent oblivia ſenſum,
  Vel ſi Lethaeum cogar adire lacum.

Sed

Sed mihi quid poſthac te, Patrue, fiet ademto,
  Quis mihi, fortunam qui tueatur, erit?
Tene mihi aeternum, ten', Patrue magne, carendum eſt,
  Nec dabitur monitis conſiliiſque frui?
Quanta dehinc humeris incumbet ſarcina noſtris,
  Res mihi jam proprio Marte gerenda venit.
Quisve animos addet veſtra nunc morte labantes,
  Fluctuat in caeco noſtra carina vado.
Tiphy, quid in medio jactatam flumine linquis,
  Deſeris infirmam quid, Palinure, ratem?
Aequore cui ſemper dubio Cynoſura fuiſti,
  Praecipiti neſcit credere vela freto.
Sola ſed a vigili poſthac Rectore relicta
  In tumido errabit, turbine quaſſa, mari.
Sed bene! quod totum te non mihi, Patrue, raptum
  Abſtulerint meritis Fata maligna tuis.
Ingenii monumenta tui poſt funera durant,
  Scripta nec aeterna Taenara nocte premunt.
Vivis enim his ſero poſt fata ſuperſtes in aevo,
  Styx nihil in chartas invida juris habet.
Quod licet, haec pro te venerabimur, haec mihi ſemper
  Exemplo ſubdent calcar ad alta tuo.
Phoebe pater, ſi quid poſthac tua cura feremur,
  Da mihi ad hanc curſum poſſe tenere Pharon.

Da precor, ut claro Patrui ſim nomine dignus,
 Et ſequar egregii facta imitanda viri.
Fac colat innumeros pubes ſtudioſa labores,
 Seraque poſteritas carmina culta legat.
Fac ſimiles ceſſent numquam, Latoïe, Myſtae
 Bellerophontei pandere ſacra jugi.
Sed procul a Pindo Baviorum craſſa propago
 Exulet, & templis turba profana tuis.
Quod ſupereſt, quanta colui te, Patrue, vivum,
 Filius ut Patrem debet amare, fide.
Semper honoratum memori ſic pectore nomen,
 Inter mortales dum numerabor, erit.
Nec patiar caecis damnari ſcripta tenebris,
 Jam bene de domini funere rapta ſui.
Poſcit opem medicam divinae Aeneïdos auctor,
 Nam labor hic dextrae deficientis erat.
Poſcit idem, placida cui favit Honorius aure,
 Ille Paraetonii fama poëta ſoli.
Haec & plura manu vigilaci condita chartis,
 Si faveat votis aequus Apollo meis;
Colligere, & Muſis ſacrare adnitar, & inſtar
 Naufragii tabulas adſeruiſſe tui.
Quidquid at eximiis ſemper comes aemula factis
 Invidia obſcoeno rodere dente velit,

Ma-

Manibus a ſacris liventia tela retundam,
  Tela tuum quondam ſueta ferire caput.
Ut pecus Arcadicum exanimem calcare Leonem,
  Quem metuit vivum laedere poſſe, ſolet.
Lucifugae erumpent tectis ſic forte latebris,
  Atque umbram infeſto dente vel ungue petent.
Sed quicumque tuis inſultet manibus hoſtis,
  Sive quis occultus, ſeu quis apertus erit;
Juſta mihi vindex Pietas dabit arma, latrantum
  Inproba quae valeant conprimere ora canum.
Graculus & ſi quis, Pavonis nomine turgens,
  Sorde ſua cineres foedet & oſſa tuos.
Sentiet ultrices in tergum flagra Camenas
  Sponte laceſſita mille parare manu.

PETRUS BURMANNUS

JUNIOR.

INDEX

IN

PETRI BURMANNI

POËMATA.

LIBER PRIMUS.

Qui complectitur carmina publice pro concione dicta.

I. SOmnium, ſive Iter in Arcadiam Novam. Pag. 1.
II. Carmen Saeculare in Centeſimum & quinquageſimum Academiae Lugduno Batavae natalem. 44.
III. Bateſteinum. 58.
IV. Laus Poëtices, ex Orat. de Eloq & Poët. 86.
V. Priſci temporis inertia commoda. } ex Orat. pro Pigr. 91.
VI. Ad Somnum. } ex Orat. pro Pigr. 94.

LIBER SECUNDUS.

In quo Epithalamia.

I. IN Nuptias Cornelii Eckii & Catharinae Wittiae. Pag. 97.
II. Arnoldo Drakenborchio Catharinam Walliam domum ducenti. 107.
III. In Nuptias Gulielmi vander Meulen & Clarae Margaritae de Marez. 110.
IV. In Nuptias Caroli Crucii & Mariae Verwout. 113.
V. Wilhelmo Crucio & Alidae Gronoviae. 116.
VI. Nuptiis Franciſci Burmanni & Eliſabethae Thierens. 117.

VII.

VII In Nuptias Hermanni vande Wall & Sarae Balde. 120.
VIII. In Nuptias Alberti Alberthomae & Gertrudis Juſtinae Coegelen van Dortmondt. 126.
IX Joh Theod. van der Schuur, & Mariae Schulerae Sponſis. 128.
X. Caſparo Commelino & Corneliae Jacobae Backeriae Sponſis. 135.

LIBER TERTIUS.

In quo Funebria.

I. IN acerbum funus potentiſſ. & illuſtriſſ. Mariae Reginae Angliae, Scotiae &c. &c &c. Pag 141.
II. Gratae memoriae Potentiſſ. Britanniarum Regis Gulielmi III. ſummi Belgarum Ducis. 149.
III In funere Godardi Gul. de Tuyl de Serooskerken, Toparchae in Wellandt &c. &c. ad Theodor. a Velthuyſen Toparcham in Heemſtede &c. &c. 151.
IV. In funus Joannis de Weede, Conſulis Ultrajectini. 158.
V. In funere Diderici Modaei, Judicis in ſummo Dioceſeos Ultrajectinae tribunali. 165.
VI. Ad Antonium van Rhee, J V. D. de immaturo funere Fratris ſui Gulielmi van Rhee J V. D. 169.
VII. In Obitum Hermanni van Halen, Theolog. Profeſſ. in Acad. Ultraj. 171.
VIII. In immaturam mortem Theod. Georg. Graevii, Joh. Georg. Filii. 174.
IX. In obitum Joh. Georg. Graevii, magnae Britanniae Regis Hiſtorici, Politices, Hiſtor. & Eloq. in Acad. Ultraject. Profeſſ. 177
X. In Obitu Petri Francii, Profeſſoris Amſtelaedamenſis. 185.
XI. In obitum Jani Broukhuſii. 190.
XII. Manium Schermerianorum Procuratio. 199.

LIBER QUARTUS.

In quo Miſcellanea.

I. NAmurca auſpiciis & ductu Gulielmi III. expugnata. Pag. 200.
II. Pax & Libertas. 204.

III. Secularia Sacra Beemſtrana. 212.
IV. In Iſaaci Ubinghii cellam Vinariam. 219.
V. In Joh. Eysdenum, medicinae melioris Antiſtitem. 222.
VI. Sophiae Reduci. 226.
VII. QuatuorViratus regno & religioni novo more conſtituendis. 232.
VIII. Ad Mirmillones ſine miſſione depugnantes. 240.
IX. Ad Menandri & Philemonis manes. 243.
X. Ode in Natalem ſexageſimum Theodori a Velthuyſen, Toparchae de Heemſtede &c. &c. 246.
XI. Soteria Ejusdem natali primo & ſexageſimo ſoluta. 252.
XII. In Ejusdem Natalem quartum & ſexageſimum. 261.
XIII. Euchariſticon ad Eumdem, pro donata viridarii Heemſtediani tabula. 267.
XIV. Libertatis Batavae in Larario Heemſtediano dedicatae imago. 271.
XV. Johanni Corvero, Senatori & Conſuli Amſtelaedamenſi, quinquageſimum, poſtquam ad Rempubl. acceſſiſſet, annum implenti. 272.
XVI. Ad Johannem Brantium. 278.
XVII. In honorem Corn. van Eck, cum publicam Juris Profeſſionem in Acad. Ultraject. auſpicaretur. 281.
XVIII. In Hugonis Grotii Librum divinum de jure Belli ac Pacis uberrimo Gulielmi van der Meulen commentario illuſtratum. 284.
XIX. In Lucae Rotganſii Gulielmum III. carmine Heroico expresſum. 288.
XX In Adriani Parſii Indicem Batavicum. 290.
XXI. Dedicatio Diſſertationis de Vectigalibus Pop. Rom. Viro Illuſtri Everardo de Weede, Toparchae de Weede, Dyckvelt &c. &c. 293.
XXII. Dedicatio minoris Editionis Ovidii; Viro Illuſtri Theodoro a Velthuyſen, Toparchae de Heemſteede &c. 297.
XXIII. Dedicatio primae editionis Phaedri; Magiſtratibus Ultrajectinis inſcripta. 308.
XXIV. Dedicatio Valerii Flacci; Nobiliſſ. Joanni Brydges, Marchioni & Comiti de Carnarvan &c. 313.
XXV. Dedicatio majoris Editionis Ovidii; Principi Eugenio inſcripta. 323.
XXVI. Soteria pro Hermanno Boerhavio ex gravi morbo convaleſcenti. 331.
XXVII. In pacem anni MDCCXIII. nummo inſculptum. 338.
XXVIII. In Effigiem Hadriani VI. Pontif. Rom. 339.

XXIX. In Effigiem Franciſci Burmanni Fratris defuncti. 340.
XXX. In Cl. Capperonnerium, de nova ejus Quinctiliani editione. 341.
XXXI. Theatrum Amſtelaedamenſe, Catoni Tertio. 353.
XXXII. Alberto Alberthomae, cum ſemina florum ipſi mitteret. 363.
XXXIII. In Medicum Plagiarium. 364.
XXXIV. Ad Blateronem Mattiacum. ibid.
XXXV. Epigramma in Eumdem. 366.
XXXVI. Deo Sterculio ſacrum. 367.
XXXVII. In Gorallum, cum ſuccedere Limburgio fruſtra ambiiſſet. 368.
XXXVIII. Ad Ducem Aurelianenſem. 369.
XXXIX. Ad Belgas a Sociis Anglis deſtitutos. 371.
XL. Aliud ejusdem argumenti. 372.
XLI. In Natalem Jacobi Terwii Ultrajectini. 373.
XLII. Ad Florentium Petrum Pittenium. 376.
XLIII. Schedium Honori viri Ampliſſ. Petri Haack de Jongh, Conſulis. 377.
XLIV. Ad Ampliſſ. Conſulem Johannem de Weede. 378.
XLV. In nuptias Ern. Caſimiri Waſſerbacchii & Mariae de Tilheln. 380.
XLVI. Honori Joh. van Weeſel, ICti. 383.
XLVII. In Libertatis, Religionis, & Pacis imagines, apud Comitem Kniphuſium. 385.
XLVIII. Viro perilluſtri Theod. Velthuſio, Toparchae de Heemſtede &c. 386.
XLIX. Praetorium Heemſtedianum a Joh. Hondio aere expreſſum. 387.
L. Epithaphium Ducis Marlburgii. 388.
LI. In Natalem Viri Ampliſſimi Franciſci Fagelii. 389.

INDEX.

EPICEDIA

IN OBITUM

PETRI BURMANNI.

I. Johannis Ooſterdyck Schacht.	Pag. 393
II Franciſci Burmanni.	397.
III. Joannis Arntzenii.	402.
IV. Abrah. Arnoldi van Toll.	406.
V. Danielis D. F. van Alphen.	409.
VI. Henrici Snakenburg.	410.
VII. Gerrardi Schròder.	415.
VIII. Petri Burmanni Jun.	420.

FINIS.

Errata operarum ſic corrigenda.

Pag. 2. vers. 15. calumina. leg. cacumina.

18. - - 11. labore. leg. labori.

101. - - 6. ope que. leg. opemque.

144. - - 15. ſi Dî. leg. ſic.

145. - - 8. *pro reditu Belgica vota facis.* omiſſa fuit diſtinctio, *pro reditu, Belgica, vota facis.*

190. - - 7. MDCCCVIII. l. MDCCVIII.

195. - - 11. ſacram. l. ſacrum.

225. - - 2. horea. l. horrea.

241. - - 14. anguineo. ſcrib. anguino.

244. - - 17. duplice. l. duplici.

245. - - 15. aſſella. l. aſella.

303. - - 3. expes. l. expers.

312. - - 10. & 13. Lycaei. ſcr. Lycei.

316. - - 19. Smyrnacis. l. Smyrnaeis.

318. - - 5. diſtinctio tollenda, *divum duriſſima pectora cultu,*

322. - - 11. caput. l. capit.

328. v. ult. alterna. l. alterno.

BIBLIOTECA NAZIONALE • DI TORINO

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google